

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,  
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,  
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann  
Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617819**

Caput CXCIV. Pilatus Christum Privatim Examinat, An Sit Dei Filius, Et  
Postea In Loco Publico Eum Damnat.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17617**



sed etiam ex hoc capite, ut blasphemus accusatus est, quod se Filium Dei professus est, qui tamen vera erat, quemque ipsi factis sese demonstrabat, ut pro peccato primorum Parentum majestatem

divinam superbe affectantium dignam satisfactionem praestaret.

*Ut me iustitia exornet vitæq; corona,  
Hinc onerant Christi spinea ferta caput.*

CAPUT CXCV.

PILATUS CHRISTUM PRIVATIM EXAMINAT, AN SIT DEI FILIUS, ET POSTEA IN LOCO PUBLICO EUM DAMNAT.

MATT. 27. v. 24. MARC. 15. v. 15. LUC. 23. v. 24. JOHAN. 19. v. 8.

RATIO ORDINIS.

**D**E connexionione nulla potest hoc loco esse dubitatio. Cum enim Pilatus à Judæis audiret, quod Christum se Filium Dei fecerit, in pratorium ipsum reducit & secretò eum de hoc accusationis capite examinat. Quamvis verò Christi innocentiam etiam in hac parte de-

prehenderet & publicè confiteretur, tamen Scetro Imperialis gratiæ ob Christi dimissionem amittenda à Judæis ipsi objecto ita terretur, ut in Christi mortem tandem consentiat & publicà voce Christum, quem non semel sed aliquoties innocentem esse professus fuerat, contra conscientiam condemnet.

ULTIMA CHRISTI EXAMINATIO, EJUSQUE AD MORTEM DAMNATIO.

MATT. 27.

- 24. Ἰδὼν ἡὸ Πιλάτῳ, ὅτι οὐδὲν ἠθέλει, ἀλλὰ μᾶλλον θόρυβος γίνεται, λαβὼν ὕδωρ ἀπενίψατο τὰς χεῖρας ἀπέναντι τοῦ ὄχλου λέγων, ἀθώος εἰμι ὑποκαταστάτω δὲ δικαίως τὰ ἔμμεν ὅσοις.
- 25. Καὶ ἀποκριθεὶς πᾶς ὁ ὄχλος εἶπε, τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐφ' τὰ τέκνα ἡμῶν.
- 26. Τότε ἀπέλυεν αὐτοῖς τὸν Βαραββᾶν, ὃν ἡσῶν φραγγιλλώσας παρέδωκεν, ἵνα στυρωθῆ.

- 24. *Videns autem Pilatus quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua abluvit manus coram populo, dicens: Innocens sum a sanguine hujus justi vos videritis.*
- 25. *Et respondens universus populus dixit: Sanguis ejus super nos & super filios nostros.*
- 26. *Tunc dimisit illis Barabbam, Jesum autem flagellatum tradidit, ut crucifigeretur.*

MARC. 15.

- 15. Ὁ δὲ Πιλάτῳ βεβλόμηνος τῷ ὄχλῳ τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι, ἀπέλυεν αὐτοῖς τὸν Βαραββᾶν καὶ παρέδωκε τὸν ἡσῶν φραγγιλλώσας, ἵνα στυρωθῆ.

- 15. *Pilatus vero volens turba facere satis, dimisit illis Barabbam, & tradidit Jesum flagellatum, ut crucifigeretur.*

LUC. 23.

- 24. 25 Ὁ δὲ Πιλάτῳ ἐπέκρινε ἠθέδου τὸ αἴτημα αὐτῶν.
- 25. Ἀπέλυσε ἡ αὐτοῖς τὸν Διόσκουρον τὸν φόνον βεβλημένον εἰς τὴν Φουλακίαν, ὃν ἡσῶν παρέδωκε τῷ θελήματι αὐτῶν.

- 24. *Et Pilatus adjudicavit ut fieret quod illi postulabant.*
- 25. *Dimisit autem illis eum, qui propter seditionem & homicidium conjectus fuerat in carcerem, quem poposcerant: Jesum vero tradidit voluntati eorum.*

JOHANN. 19.

- 8. Ὅτε ἔν ἡμερον ὁ Πιλάτῳ τῶτον τὸν λόγον, μᾶλλον ἐφωβήθη.
- 9. Καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ πραιτώριον ἑτέρω, καὶ λέγει τῷ ἡσῶν Πόθεν εἶ σὺ; ὃν ἡσῶς ἀπεκρίθη καὶ εἶπεν αὐτῷ.
- 10. Λέγει ἔν αὐτῷ ὁ Πιλάτῳ ἔμοιγε λαλεῖς, καὶ οὐκ οἶδας, ὅτι ἐξ ἑσθίων ἔχω στυρωσάσῃ σε καὶ ἐξ ἑσθίων ἔχω λύσασῃ σε;
- 11. Ἀπεκρίθη ὁ ἡσῶς, καὶ εἶπεν, ἐξ ἑσθίων ἔδεξιαν κατ' ἡμᾶς. Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars quarta.

- 8. *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit.*
- 9. *Et ingressus est Pratorium iterum & dicit ad Jesum, Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei.*
- 10. *Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? Nescis, quod potestatem habeam crucifigendi te & potestatem habeam absolvendi te?*
- 11. *Respondit Jesus: Non haberes potestatem advertere ἡμᾶς,*



- ἐμὴ, ἢ μὴ ἦν σὶ δεδωμένον ἀνώθεν, ἀλλὰ τὸ ὄψωρα δίδως με σοὶ μείζονα ἀμωσίου ἔχει.
- 12. Ἐκ τούτου ἐξήτει ὁ Πιλάτος ἀπολύσαι αὐτὸν. Οἱ Ἰουδαῖοι ἐκράζον, λέγοντες. εἰς τὸν δολοφόνου, ἢ εἰ Φίλος ἢ Καίσαρ, πᾶς ὁ βασιλεὺς αὐτὸν ποιῶν ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι.
- 13. Ὁ δὲ Πιλάτος ἀκίσσας τὸν λόγον, ἤραγεν ἔξω τὸν Ἰησοῦν καὶ ἐκάθισεν ὅπου ἔβηματὸς εἰς τὸ πόν λεζόμυρον λιθόστρωτον, ἐβραϊστὶ ἢ Γαββαθα.
- 14. Ἦν ἡ παρασκευὴ ἡ πάσχα, ἄρα ἡ ὥσα ἐκτι καὶ λέγει τοῖς Ἰουδαίοις, ἰδὲ ὁ βασιλεὺς ὑμῶν.
- 15. Οἱ δὲ ἐκραύρασαν, ἄρον, ἄρον, στυρωσον αὐτὸν. Λέγει αὐτοῖς ὁ Πιλάτος, τὸν βασιλεῖα ὑμῶν στυρωσω; ἀπεκρίθησαν οἱ ἀρχιερεῖς, ἢ ἐχομεν βασιλεῖα εἰ μὴ Καίσαρα.
- 16. Τοῦτον παρέδωκεν αὐτοῖς, ἵνα στυρωθῇ.

- sum, me nullam, nisi tibi datum esset è supernis: Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.
- 12. Ex eo querebat Pilatus absolvere eum. Judæi autem clamabant, dicentes. Si hunc absolveris, non es amicus Cesaris. Quicumq; se regem facit, contradicit Cesari.
- 13. Pilatus autem cum audisset hunc sermonem, produxit foras Jesum & confedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha.
- 14. Erat autem pasche Pasche horâ fermè sextâ & dicit Judæis, Ecce Rex vester.
- 15. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit illis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices. Non habemus Regem nisi Cesarem.
- 16. Tunc ergo tradidit eum illis, ut crucifigeretur.

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM HUIUS HISTORIÆ.

Marcus post inconditos Pontificum & populi clamores, quibus Barabbam dimitti, Christum verò crucifigi postulabant, statim subjicit, quod Pilatus cupiens turbæ satisfacere Barabbam dimiserit, Jesum verò flagellatum crucis supplicio adjudicaverit. Sed ex Matthæo intelligitur, Pilatum ante prolatam contra Christum mortis sententiam manuum ablutio testatum fuisse, quod innocens sit à sanguine hujus justî; & ex Johanne

apparet, tum isti manuum ablutio, tum condemnationi ad mortem præmittendum esse ultimum Christi examen, in quo Pilatus ex eo quaesivit, unde esset, ac stomachabundum illum Pilati obficientis Christi excandescentis sermonem. Mihi non loqueris? nescis quod potestatem habeam crucifigendi te & potestatem habeam abfolvendi te.

HARMONIA HUIUS HISTORIÆ.

Ὁ περὶ ἐξήτει ὁ Πιλάτος τὸν λόγον μᾶλλον ἐφοβήθη, καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ πραιτώριον πάλιν καὶ λέγει τῷ Ἰησοῦ, πῶς ἐσὺ; ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀπεκρίθη ἢ ἐδωκεν αὐτῷ. Λέγει ἔν αὐτῷ ὁ Πιλάτος ἐμοὶ ἢ λαλεῖς; ἢ οὐκ οἶδας, ὅτι ἐξ ἑβραίων ἔχω στυρωσάσε καὶ ἐξ ἑβραίων δολοφόνου σε; Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, ἢ εἰχρες ἐξ ἑβραίων ἐδεμίην κατ' ἐμὴ, εἰ μὴ ἔν σοι δεδόμενον ἀνώθεν, ἀλλὰ τὸ ὄψωρα δίδως με σοὶ, μείζονα ἀμωσίου ἔχει. ἢ τὸν δολοφόνου, ἢ εἰ Φίλος ἢ Καίσαρ. Πᾶς ὁ βασιλεῖα αὐτὸν ποιῶν, ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι. ὁ δὲ Πιλάτος ἀκίσσας τὸν λόγον ἤραγεν ἔξω τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐκάθισεν ὅπου ἔβηματὸς εἰς τὸ πόν λεζόμυρον λιθόστρωτον, ἐβραϊστὶ ἢ Γαββαθα. Ἦν ἡ παρασκευὴ ἡ πάσχα, ἄρα ἡ ὥσα ἐκτι καὶ λέγει τοῖς Ἰουδαίοις, ἰδὲ ὁ βασιλεὺς ὑμῶν. οἱ δὲ ἐκραύρασαν, ἄρον, ἄρον, στυρωσον αὐτὸν. Λέγει αὐτοῖς ὁ Πιλάτος, τὸν βασιλεῖα ὑμῶν στυρωσω; ἀπεκρίθησαν οἱ ἀρχιερεῖς, ἢ ἐχομεν βασιλεῖα ἢ μὴ Καίσαρα. Ὁ δὲ Πιλάτος ἰδὼν, ὅτι ἄδεν ὠφελεία, ἀλλὰ μᾶλλον θόρου ἔγινετο, λαβῶν ὕδωρ ἀπένιψατο πᾶς χεῖρας ἀπέναντι ἢ ἐχλῆ λέγων, ἀθῶος εἰμι δὸς ἢ αἵματὸς ἢ δικαίᾶς τῆς, ὑμῖς ὄψοθε. καὶ δολοφόνου πᾶς ὁ ὄχλος εἶπε, τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμῖς καὶ ὅπου περὶ τέκνα ἡμῶν. Τοῦτον ὁ Πιλάτος ἐβλόμυρος τῷ ὄχλῳ ἵκανεν ποιῆσαι, ἐπέκρινε ὑπεδῶμα τὸ αἴτημα αὐτῶν, καὶ ἀπέλυσεν (ἀπέλυεν) αὐτοῖς τὸν Βαραββάν, τὸν δὲ σῶσιν καὶ φόνον βεβλημένον εἰς τὴν φυλακίαν, ὃν ἤεντο, τὸν δὲ Ἰησοῦν Φαραζελλῶσας παρέδωκεν αὐτοῖς (καὶ) τῷ θεληματι αὐτῶν ἵνα στυρωθῇ.

Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est Praetorium iterum & dicit ad Jesum, unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis, quod potestatem habeam crucifigendi te & potestatem habeam abfolvendi te? Respondit Jesus: Non haberes potestatem adolvere me nullam, nisi tibi datum esset è supernis. Propterea qui me tibi tradidit, majus peccatum habet. Ex eo querebat Pilatus absolvere eum, judæi autem clamabant dicentes. Si hunc absolveris, non es amicus Cesaris. Quicumq; se Regem facit, contradicit Cesari. Pilatus autem cum audisset hunc sermonem, produxit foras Jesum & confedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem pasche Pasche horâ fermè sextâ & dicit Judæis, Ecce Rex vester. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit illis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices, Non habemus Regem nisi Cesarem. Pilatus autem videns, quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, acceptâ aquâ abluic manus coram populo, dicens: Innocens sum à sanguine hujus justî, vos videritis. Et respondens universus populus dixit: Sanguis ejus super nos & super filios nostros. Tunc ergo Pilatus volens turba facere facit, adjudicavit, ut fieret quod illi postulabant, & dimisit illis Barabbam, qui propter seditionem & homicidium conjectus fuerat in carcerem, quem poposcerant: Jesum vero flagellatum tradidit eis (&) voluntati eorum, ut crucifigeretur.

Exegesis hujus Historia.

Esaiæ 53. v. 9. de Christo vaticinatur Propheta, quod in morte sua futurus sit dives. Quâ ratione Christus in morte sua dives fuerit ac multos ditaverit, suo loco inferius explicabimus, hic notamus illud, quod in textu Hebræo habeatur numerus pluralis יתן in mortibus suis. Tribuitur ergo Christo non una ac simplex, sed duplex

mors, sive duæ vel etiam plures mortes. Et sanè potest hoc ad inconnè eò referri, quod Christus per totum vitæ suæ in his terris actæ cursum variis adversitatibus ac persecutionibus fuerit subiectus ac proinde juxta stylum Apostolicum 1. Cor. 15. v. 31. quotidie mortuus, antequam in cruce mortem subiret. Potest etiam eò accom-



modari, quod Christus non solum in sanctissimo suo corpore mortem sustinuerit, sed etiam in sanctissima sua anima dolores verè infernales, qui mortis secundæ nomine in Scripturis exprimuntur, sine ulla tamen desperatione perfererit. Sed non videbimur à scopo Prophetici vaticinii aberrare, si eò illud accomodemus, quòd Christus non solum coram Ecclesiastico iudicio, à Pontificibus Scribis & Phariseis in atrio Caiphæ, sed etiam coram politico iudicio à Pilato in prætório mortis ad iudicari voluerit, ut nos à morte prima & secunda, à morte corporis & animæ, à morte temporali & æterna liberaret. De condemnatoria ad mortem sententia in atrio Caiphæ contra Christum pronuntiata vidimus superius, in hac pericope describitur condemnatoria mortis sententia in prætório contra Christum prolata. Partes huius pericopes sunt duæ. 1. Ultimum Christi examen. 2. Sententiæ mortis contra ipsam dictamen.

1. Novissimo Christi examini occasionem præbuit Judæorum accusatio, quod Christus se Filium Dei fecisset. Cùm enim Pilatus audisset hunc sermonem, magis timuit, dicit Johannes. Quidam hunc Pilati metum sic exponunt, quòd veritus fuisset, ne tumultus in populo exoriretur, quòd nondum damnasset Jesum, quem tam pertinaciter ut blasphemum & idololatram ad mortem peti videret. Sed sequentia ostendunt, quòd audito nomine Filii Dei religioso quodam metu fuerit perculsus, ne sc. flagellatione sua in ipsum Dei Filium injurius fuerit: & quòd magis exhorruerit in crucis pœnam ipsi irrogandam consentire, ne innocentem crucifigens Dei Filium crucifigeret. Jam antè perspecta ipsi erat Christi innocentia, cùm ergò intelligeret, ipsum non solum innocentem esse, sed etiam Dei Filium habitum, magis timuit, *Ingressus igitur est iterum in prætorium & dicit ad Jesum, unde tu es? ðeiv*, non quærit de patria, quo sensu Judæi dicunt, *de hoc scimus, unde sit, ðeiv est*, hoc est, ex quo loco oriundus sit, Joh. 7. v. 27. jam antè enim audierat Pilatus Jesum esse Galilæum, sed quærit, an ex cœlo an verò ex terra originem habeat, an ex Deo vel ex hominibus sit natus, quo sensu *ðeiv* usurpatur Matth. 21. v. 25. Luc. 20. v. 7. Gentiles persuasi erant, Deos præsertim minores quandoq; cœlo descendere & in forma humana apparere, sicut de Jove, Vulcano & Mercurio Poëtæ fabulantur ac fingunt Lycaonem in lupum fuisse mutatum, propterea quod Jovem hospitem non tractaverit eâ, quâ decuit, reverentia. Sic Lycaones de Paulo & Barnaba judicant Act. 14. v. 11. *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos*. Persuasi etiam erant Ethnici, quosdam esse semideos ex Deorum cum hominibus concubitu prognatos. Cyrillus in h. l. *Semideos & Deorum filios gentilium fabule multos confingunt*. Pilatus igitur iudicat Christum esse talem vel Deum in forma humana apparentem, vel semideum ex Deo & homine prognatum, in qua opinione procul dubio confirmarunt ipsum varia Christi miracula Hierosolymis & in vicinia magno numero edita, quorum rumor ad aures ipsius non potuit non pervenire, ut etiam heroica virtutes ex ipso vultu, ex verbis & gestibus Christi relucentes, utpote singularis gravitas, animi moderatio, prudentia, fortitudo, constantia &c. Porrò verisimile est, ethnicas illas fabulas de Diis cœlo descendentibus per aërem in terram

*Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars quarta.*

vectis & inter homines vagantibus ortas esse ex religione Patriarcharum, cum quibus Deus in assumpta forma humana sæpius est collocutus: fabulas autem de semideis ortas esse ex vaticiniis de Filio Dei ex virgine Maria nascituro & in unitate personæ futuro *θεανδρωπιω*, posteri verò amissâ verâ doctrinâ fabulas affixerunt de multitudine Deorum, de descensu eorum in terras & congressu cum hominibus, inde est, quòd metuit Pilatus, ne & Christus esset talis Deus, ac ne flagellando ipsum Deum injurius fuerit, reducit igitur eum in prætorium, ut commodius extra populi strepitum de hoc capite ipsum examinare posset. Quidam interrogationem illam Pilati de patria Jesu accipiendam esse statuunt. *Cùm audisset Pilatus* (inquiunt) *quòd Jesus divinitatem sibi arrogasset, nec in promptu statim esset, quòd pro defensione Christi Judæis responderet, reduci eum iussit in prætorium, atq; ipse ingressus expiscari ab eo voluit, quidnam esset, quòd illi objicerent ac quomodo id reselli posset. Rogat igitur primum, unde esset, ut cognitâ gentis origine resuraret, quòd Dei Filius videri affectaret*. Sed cùm Pilato jam antè constiterit, Jesum esse Galilæum, ideò non tam de patria quàm de origine, cœlestisne illa sit, an ex hominibus, hæc quæstio accipienda est. Et cogitari potest, Pilatum recordatum esse illius, quòd paulò antè ex Christo audierat, ipsum in hoc natum esse & venisse in hunc mundum, ut de veritate testificaretur Joh. 18. 37. Suspensus igitur fuit Christum vel semideum esse ex congressu cujusdam Dei cum matre natum, quia dicit se esse natum, vel Deum quendam cœlitus in terras missum, quia dicit se in mundum venisse; inde invadit ipsum timor, ne divinum Numen in hoc homine violet inscius. Videmus igitur sensum religionis & metum Numinis naturâ hominibus ingenitum esse, licet multi à vero Deo aberrent & vanas suas cogitationes sequantur, inde etiam timor ille in animis ipsorum est evanidus, nec habet fixas radices, sed facillè iterum excutitur, sicut Pilatus hic aliquantulum timens paulò post in superbum Dei contemptum prorumpit potestatem se habere dicens Christum vel absolvendi vel crucifigendi. Sic Felix Præfex audiens Paulum differentem de justitia & castitate & de futuro iudicio *remesatus est* Act. 24. v. 25. agnoscens veritatem dictorum & futurum iudicium metuens, sed hunc salutarem timorem, conversionis initium, postea excussit ad ingenium pristinum reversus. Nec solum evanidus, sed etiam præposterus fuit hic Pilati metus. Audiens Christum sese Dei Filium esse professum, meruit, reveritus sc. ne in Deum peccasset antegressa flagellatione, quasi verò non sit in Deum justitiæ patronum ac injuriarum vindicem injurius, qui hominem innocentem præter omne meritum affligit, inde etiam Christus Pilato ut homini ethnico & contra conscientie testimonium crudeli *nullum dat responsum*. Causas hujus silentii in genere exposuimus superius, specialiter hoc loco respondere noluit Pilato, quia non amore pietatis & cognoscendæ veritatis, sed supplicii timore qualierat. Jam verò qui verbum audiunt, non ut veritatem agnoscant, sed solum ut pœnas effugiant, apud illos omnis doctrina & admonitio est frustranea, inde etiam apparet, cur hodie verbum apud paucos solum ad conversionem & salutem efficac sit, nimirum plerique audiunt timore supplicii, desiderio novitatis, præconceptis opinionibus fascinati, consuetudine



solùm ducti & c. paucissimi verò serio cognoscendæ & amplectendæ veritatis studio. 2. Ideò etiam Christus coram Pilato tacuit & ad propositam quæstionem non respondit, quia Pilatus non erat capax sublimis illius mysterii de æterna Filii ex Patre generatione & essentia cum ipso ἁμοῦσι ac periculum suberat, ne ex falso hujus doctrinæ intellectu in numerum Deorum gentilium per *ἄπο Ἰησοῦ* (ut Jesus fuisset relatus. Tertull. in Apolog. c. 5. & Eusebius libr. 2. Histor. Eccles. c. 2. referunt, Pilatum de Christi miraculis, resurrectione & ascensione in cælos Cæsarem Tiberium per literas certiore fecisse: Tiberium hæc porro ad Senatum retulisse, ut in Deorum numerum Jesus reciperetur: Senatum verò hanc causam respuisse, quòd ipse eam non primus approbasset, eò quòd vetusta consuetudo obtinebat, neminem apud Romanos divinum debere honorem sortiri, nisi ex sententia & decreto Senatus. Quòd si Pilato manifestatum fuisset hoc loco mysterium æternæ generationis ex Patre, Tiberius Cæsar per literas Pilati de eo certior factus multò fortius Christi *θεοποίησιν* (ut vocat Eusebius) sive *ἄπο Ἰησοῦ* apud Senatum Romanum urfisset. Repudiata verò fuit hæc Tiberii postulatio divinæ providentiæ, quàm scite exponit Eusebius. *Factum* (inquit) *est illud verò ex hac causa, quòd salutaris illa divine prædicationis doctrina nullà opus habeat humanâ approbatione & commendatione.* Pilatus hoc silentium Christi agrè ferens stomachari incipit, dicens: *Mibi non loqueris? nescis quòd potestatem habeam crucifigendi te, & potestatem habeam absolvendi te.* Emphasis est in Pronomine *Mibi*, indignatur enim Pilatus suam autoritatem judicariam & diligentiam in patrocínio Christi hæctenus adhibitam ab ipso contemni. Si vel maximè accusatoribus Judæis respondere nolles, mihi tamen respondere deberes, qui judicis officio fungor, qui liberationem tuam quæro, qui nullo ductus partium studio alteram aurè tibi reservo. In manu mea est te crucifigendum tradere, vel liberum dimittere; æquum igitur est, ut responso aliquo me digneris & honores, ne justam indignationem meâ incurras. Sed his verbis Pilatus se ipsum injustitiæ accusat. Si enim in ipso est positum totum, cur non absolvit, quem innocentem esse aliquoties erat testatus? Per *ἔξοχον* intelligit utrumq; scilicet autoritatem & facultatem, deinde etiam potentiam & vires, quæ alias solet dici *δύναμις*; hoc enim dicit, quòd sibi ut ordinario judici competat accusatum vel absolvere vel condemnare, quodq; in populo Judaico neminem aghoscat superiorem, à quo prohiberi & contra voluntatem suam ad absolutionem vel condemnationem accusari cogi possit. Sed processus, quem hæctenus instituerat ac postmodum etiam instituit Pilatus, manifestè contrarium testatur, quòd scilicet metu seditionis in populo excitandæ ab illius, quæ innocentem esse probè noverat, absolutione fuerit prohibitus. Sed hoc modo solent arrogantes iudices agere, ut contra inermes reos suam autoritatem & potestatem jactitent, populi seditionem præpositerè interim metuentes. Verbum *sciendi* hoc loco non simplicem notitiam, sed conjunctam illi curam significat; sicut aliàs verba notitiæ apud Hebræos affectum cordis connotant, omnibus enim notum erat & ex ipso processu apparebat, Pilatum esse judicem

ac proinde potestatem habere crucifigendi vel absolvendi Jesum, ut ex antecedente illo Pilatus infert. Quando ergo inquit, *an nescis, quòd potestatem habeam te crucifigendi, vel absolvendi*, hoc propriè dicit, an non rationem habes meæ autoritatis & potestatis? an non curas officium judicis? Utitur etiam verbo *crucifigendi* potiùs quàm interficiendi, ut Christum comminatione crucis velut dirissimi & ignominiosissimi supplicii magis perterrefaciat ad extorquendum ab ipso responsum: ex parte altera utitur verbo *absolvendi*, ut pollicitatione plenariæ liberationis magis invitet ad proliciendum responsum. Jactat quidem his verbis Pilatus suam potestatem, sed manifestat interim latentem cordis sui impietatem ac crudelitatem. *Audire* (inquit Ambrosius sermon. 20. in Ps. centes. decim. octav.) *quid iudex iniquitatis loquatur. Potestatem habeo crucifigendi te & potestatem habeo absolvendi te. Mala potestas, licere quòd noccat, potestas illa tenebrarum est & c. Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges & jura pronunciat, scitis juris obtemperat, propria voluntati non indulget.* Publicè aliquoties Pilatus Christum innocentem esse professus erat, cur igitur jactitat se habere potestatem ipsum crucifigendi? Si de jure loquitur, splendè mentitur; si de facto, talem potestatem sibi tribuit, quam sceleratissimus latro habet. Data est Magistratui potestas absolvendi & condemnandi, non autem pro libitu & arbitrio quemcunque velit absolvendi & condemnandi, sed absolvendi innocentes & condemnandi facinorosos. *Non sine causa gladium portat, Dei minister est, vindex in iram illi qui malè agit* Roman. 13. vers. 4. bonos autem tueri ac defendere debet, vers. 3. *Ut lex non est posita nisi injustis, impiis & sceleratis* 1. Timoth. 1. vers. 9. sic Magistratus jus pœnæ & gladii non habet nisi in facinorosos. Quòd si gladium stringat in innocentes, non est legitima potestas, sed Tyrannica crudelitas. *Potentia debet sequi justitiam, non præire*, ait Augustinus libr. 13. de Trinit. cap. 13. Impia igitur est vox illa Pilati & planè Tyrannica, si de absoluta quadam pro libitu absolvendi & condemnandi potestate Magistratui concessa accipiat, quæ enim potestas Magistratui data est, ea certis limitibus est circumscripta & non nisi juxta leges & Dei arbitrium exercenda. Videtur autem Pilatus non in genere de Magistratus potestate, sed in specie de persona Christi loqui, quòd in eum pro suo arbitrio statuere & potestatem suam exercere possit. Sive enim illum absolvat, id fieri ex eo quòd nondum poruerit capitale aliquod crimen in ipso deprehendere: sive crucifigat, id inde fieri, quòd Proceres Judaici crucem ipsum promeritum esse judicent, quorum sententiæ absq; omni culpa acquiescere possit. Sed ne sic quidem ab impietate & injustitia superba illa vox Pilati excusatur, boni enim & æqui judicis est, non audire alienis auribus vel alienis oculis videre, sed diligentem causæ cognitionem ipsum et oportet suscipere, antequam absolvat vel condemnet. Apparet etiam in Pilato ingenium humanæ rationis. Ut enim Pilatus freno timoris divini destitutus affectuum ventis huc & illuc impellitur, modo timidus est & meticulosus, modo potestatem suam ambitiosè jactitat; terretur primum ab accusatoribus, mox terret accusatum, tandem



dem etiam voluntati accusatorum sese totum plane subicit; sic homo carnalis, cujus cor pietate & timore Dei vacuum & carnali duntaxat prudentia instructum est, variis affectibus circumrotatur, formas sese vertit in omnes, neque habet, ubi pedem tutò figere possit. Atque ut Pilatus potestatem sibi datà pro arbitrio ac libitu exercere se posse autumat: sic homo carnalis fide ac regeneratione destitutus dona divinitus concessa non agnoscit ut dona gratis data, de quorum usu vel abusu reddenda olim sit ratio, sed intuetur ea ut propria merita, ac putat in illorum usu sibi licere, quicquid omnino libet. Vera autem fides in Christum & interna Spiritus regeneratio docent, dona à Deo nobis esse collata non propter nos, ut illis pro arbitrio utamur, sed propter proximum, ut in illius usum ea conferamus, ac proinde donis illis nos haud quaquam fieri Dominos, sed ministros eò pluribus inservire obstrictos, quò majora & præstantiora dona divinitus nobis obtigerunt. Hinc respicit Christus, quando jactantiam Pilati coercet hoc responso. *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset è supernis.* Propterea, qui me tibi tradidit, majus peccatum habet, Christus siluerat haec usque ad fallas Judaeorum accusationes & curiosas Herodis ac Pilati quaestiones, sed hoc loco non silet ad jactantiam Pilati vocem, quã potestatem absolventi & crucifigendi sese habere arrogantius dixerat: ne scilicet jactantia illa Præsidis detraheret ipsius personæ (quasi scilicet non sit Dei Filius præcavere potens passionem,) & passionis gloriæ, quasi scilicet ex merito arbitrio Pilati & non potius singulari Dei consilio irrogata sit & sponte à Christo tolerata. Qui verba Pilati in genere accipiunt de potestate Magistratui concessa, illi responsum Christi objurantium itidem generaliter accipiunt hoc sensu: Non haberes adversum me vel ullum hominem aliquam potestatem, nisi datum tibi esset è supernis, nisi potestas Magistratus divinitus tibi esset concessa, cujus abusu crucifixionem mihi irrogare potes. Et hæc explicatio utilem præbet admonitionem Magistratibus, adeoque omnibus *καταρχαίς* & *ἐπίσκοποις*, ut cogitent potestatem illam à Deo sibi concessam Rom. 13. v. 1. ac proinde de illius usu rationem olim reddendam esse Sapient. 6. v. 2. *Audite Reges & intelligite, discite judices finium terræ. v. 4. quoniam data est à Domino potestas vobis & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur. v. 5. estis ministri regni illius &c.* Moderatè igitur se gerant in usu potestatis inferioris, timendo superiorem potestatem. Subditis etiam hoc ipsum admonitioni est, ut Magistratui divina autoritate & potestate armato debitam obediendam præstent Roman. 13. v. 5. Tit. 3. v. 1. Petr. 2. v. 13. Sed ostendimus superius, Pilatum in specie de persona Christiloqui, quòd in eum quidvis pro arbitrio statueret, eundemque vel absolvere ut innocentem, vel crucifigere ut de gravissimis criminibus à Sacerdotibus & Senioribus accusatum. Responsum igitur Christi *ὁπισθητικόν* itidem in specie accipiendum. Dixerat Pilatus se habere potestatem vel absolventi vel crucifigendi Christum, sed Christus reponit ei: *non haberes adversum me vel in me κατ' ἐμὴν ullam vel minimam potestatem & δευτέρως ἐξουσίαν, nisi datum tibi esset de super.* Concedit, Pila-

tum habere magnam potestatem, cum sit Cæsaris Vicarius, summum in Judæa Magistratum ipsius nomine gerens, sed eam in se, ut potè Dei Filium, *Regem Regum & Dominum dominantium* Apoc. 19. v. 16. simpliciter & absolutè habere negat, ut pro merito suo arbitrio eam exercere possit. Concedit etiam, Pilatum aliquam in se habere potestatem, non autem omnem & absolutam. Jus & autoritatem se crucifigendi ipsum habere negat, cum sit innocens & nulli unquam crimini factus obnoxius, sed vires & facultatem crucifigendi ipsi concedit, non tamen nisi limitatè & circumscriptè, quatenus scilicet ipsi datum, sive permissum sit, ut rectè interpretatur Chrysostom. homil. 84. in Joh. edit. grac. *τὸ δεδομένον, inquit, ἐν ταύτῃ τὸ συγκεχωρημένον ἐστὶν ὡσπερ εἶπεν εἰς τὰ γενέσθαι.* Hoc verbum datum in hoc loco est permissivum, quasi dicat, permittit hæc fieri. τὸ ἀνωθεν est è supernis, è cælo, vel à Deo, ita enim usurpatur vocabulum ἀνωθεν Johan. 3. v. 3. 7. 31. c. 9. v. 11. Jacob. 1. v. 17. c. 3. v. 15. Legitima potestatis nihil in me habes, de facto mihi nocere potes, sed non nisi permissus à Deo, hæc verò non est potestas judicis, sed latronis ac tyranni, imò ἡ ἐξουσία *κρίτης* Luca. 22. v. 53. qualis etiam concessa Judæis me captivantibus ac ligantibus. Sic ergò Christus non solum Pilati jactantiam his verbis coercet, potestatem illam, de qua gloriatus erat, limitando, sed etiam sese innocentem ac Dei Filium esse profiteretur, particula enim πῶθεν in Pilati quaestione respondet τὸ ἀνωθεν in Christi responsione. Quaesierat Pilatus unde esset, Christus respondet, è supernis datum esse Pilato, quicquid in ipsum possit, intelligendum igitur relinquit se venisse ἀνωθεν Johan. 3. vers. 31. esse Dei Filium in hunc mundum à Patre cælesti missum, ut pro peccatis hominum suà passione ac morte satisfaceret, sicut antè dixerat, *se in hoc natum esse & in mundum venisse, ut testificetur de veritate,* Johan. 18. vers. 37. Neque enim generaliter solum hoc dicit Christus, nil nisi divinam permissionem in mundo geri, ac Pilatum, qui se omnia posse gloriatur, non tamen plus facturum, quam Deus concedat, sicut quidam hæc verba Christi exponunt, sed in specie digitum intendit ad singularem dispositionem divinam in missione Filii & opere redemptionis per ipsum præstando, sive ut Apostoli loquuntur Act. 4. vers. 28. *ad manum & consilium Dei* in toto hoc negotio apprime considerandum. Hoc ergò CHRISTUS vult dicere: Sum dilectus Dei Filius ἀνωθεν in mundum missus, proinde non nisi permissione divinã ἀνωθεν facta aliquid contra me potes, illa verò permissio facta est speciali dispensatione, mirabili consilio & singulari ordinatione, non propter aliquod meum delictum, sicut aliàs impii permittuntur nocere hominibus piis propter peccata in carne ipsorum adhuc hærentia, sed propter redemptionem generis humani passione ac morte mea procurandam, sicut Theophylactus verba Christi rectè interpretatur. Non ita simpliciter morior, sed mysticum aliquid perficio & prænitum est hoc supernè in salutem hominum. Proponitur igitur hoc loco non tantum generalis doctrina de providentia divina, quòd omnia in mundo sapientissimo Dei consilio gubernentur, quòd hominibus præsertim piis



piis sine permissione divina nihil quicquam ad verfi accidat Matth. 10. v. 29. Luc. 12. v. 7. &c. sed etiam speciale illud consilium Dei in Christi passione & morte considerandum, quod scilicet Sacerdotes & Seniores Herodes & Pilatus potestate desuper data contra Christum fecerint quicquid in passionis Historia fecisse commemorantur. Actor. 2. 23. Christus *ὡς ἰσχυρῆ βουλῆ καὶ προνοίας τοῦ Θεοῦ ἐνδοξοῦ*, definito consilio & præsientia Dei dicitur traditus Actor. 4. 27. convenerunt adversus Jesum Pilatus cum gentibus & populis Israel v. 28. *facere, quæ manus & consilium Dei decreverunt fieri.* Quemadmodum enim David 2. Sam. 16. v. 11. in maledictione Simei respicit ad iustum Dei permittentis iudicium, unde addit, *Dominus dixit ei, ut maledicat:* ita quoque Christus in crudeli flagellatione sibi à Pilato irrogata respicit ad manum & consilium Dei, unde dicit, *è supernis ipsi datum esse, ut hac ratione in sese sæviat.* Id vero haudquaquam sensu eo intelligendum, quasi à Deo inspiratum fuerit Simei, ut malediceret; Pilato, ut innocentem Christum flagellaret & crucifigeret; multò minùs quasi decreto Dei coacti fuerint Simei ad maledictionem, Pilatus ad flagellationem; sed accipiendum illud est de permissione divina, quod nec Simei potuisset Davidi maledicere, nec Pilatus Christum flagellare, nisi divinitus utriq; fuisset permissum. Non tamen eadem sunt permissionis causa, Simei enim permissus fuit Davidi maledicere in pœnam præcedentium delictorum Davidis atq; ad ipsius emendationem: Pilatus autem permissus est Christum flagellare & crucifigere ob generis humani redemptionem per passionem & crucifixionem Christi obtinendam. Huc remittit nos Apostolus, quando dicit, *Deum tradidisse Filium suum pro nobis in mortem* Rom. 8. v. 32. non quod arcano impulsu vel etiam invariabili quodam decreto coegerit Judæos ac Pilatum, ut ipsum crucifigerent, sed quia sanguinarium suum consilium non potuissent in effectum producere, nisi divinitus illis permissum fuisset: permisit autem Deus, non quia delectatus est hac crudelitate, nec quia impedire non potuit, nec quia parùm curavit, quid de Filio suo fieret, sed quia novit pro sua sapientia, ac potuit pro sua omnipotentia & benignitate ex hoc malo elicere bonum, nimirum generis humani redemptionem. Ad hoc mysterium in passione Christi præcipuè dirigendi sunt oculi cordis nostri, ut non tam Pilati ac Judæorum manus iniquas Act. 2. v. 23, quam salutarem Dei manum Act. 4. v. 27. respiciamus, nec tam sanguinaria Judæorum de Christo interficiendo consilia, quam salutarem Dei consilium de redemptione humani generis per Christi mortem procuranda spectemus, ita enim fiet, ut non tam Pilato & Judæis in Christum sævientibus, quam peccatis nostris, ob quorum expiationem tantopere in Christum sævire divinitus permitti sunt, irascamur. Si absq; hac permissione divina fuisset, ne tenuissimum quidem capillum evellere Christo potuissent; vicissim etiam si absq; peccatis nostris fuisset, pro quibus per Christi mortem erat satisfaciendum, aut in æternum nobis omnibus pereundum, Deus nunquam permisisset Pilato & Judæis in Christum ita debacchari. Ut autem Christus hoc loco causam passionis suæ à potestate Pilati transfert ad voluntatem Patris sui cœlestis, ita discamus omnes nostras passiones, adverfa o-

mnia referre ad Dei manum & consilium, ut non tam causam intermediam & minùs principalem, quam summam & primariam, Dei scilicet voluntatem, respiciamus, hoc enim optimum est patientiæ antidotum. Potuissent Pilatus cogitare, se nullo teneri crimine obnoxium, cum è supernis datum sit ita agere, ideò Christus addit, *propterea, qui me tibi tradidit, majus peccatum habet,* sed hujus dicti connexion cum superioribus non eodem modo ab omnibus explicatur. Quidam *τὸ ἀνοθεύειν* intelligunt de superiore potestate Romani Imperatoris, à quo potestatem suam Pilatus acceperat, ac talem asserunt connexionis rationem. Non est, quod de potestate tua insolenter glorieris, non enim haberes in me ullam potestatem, nisi à potestate superiore eam accipisses, & quia superiore illam potestatem times offendere, inde est, quod tu à me potestate abutendo pecces, sed longè gravius peccant, qui me tibi tradiderunt, tu enim peccas humano timore offensæ apud potestatem superiore contrahendæ, illi verò ex odio, invidia & destinata malitià peccant, qui me tibi tradiderunt. Augustinus tractat. 116. in Johan. *Dicamus, quod dixit, quod & per Apostolum docuit, quod non est potestas nisi à Deo & quod plus peccat, qui potestati innocentem occidendum livore tradit, quam potestas ipsa, si eum timore alicujus majoris potestatis occidit.* Sed ostendimus superius *τὸ ἀνοθεύειν* esse positum pro *è supernis*, è celo sive à Deo. Quòd si ergo Christus à Deo potestatem illam Pilato concessam esse dicit, quæ erit ratio connexionis, quod propterea Judas proditor, Sacerdotes & Seniores, adeoque totus populus Judaicus (hos enim omnes *ὑπερόχρηστος* per *τὸν Θεὸν δίδοντα* intelligit Johan. 18. v. 35. *Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi.* Judas enim tradiderat Christum Pontificibus, Pontifices & populus Judaicus tradiderunt eum Pilato) quòd, inquam, illi propterea *majus peccatum habeant,* quam Pilatus. Theophylactus particulam connexionis *ἀλλὰ τῆτο* planè præterit ac dissimulat. Quidam putant, esse in verbis Christi apostrophein quandam & subintelligendum aliquid, videlicet tale quiddam: Quia tu, Pilate, non intelligis divina mysteria de Filio Dei, promisso & exhibitio Messia, sicut Judas proditor, Pontifices & populus Judaicus intelligunt, vel certè intelligere debent, ideò qui me tibi tradidit, majus peccatum habet, vel ut Syrus vertit, *ejus majus est peccatum, quam tuum.* Sed ex antecedentium genuina interpretatione simplicissima peti potest connexionis ratio. Dixerat CHRISTUS, Pilatum non habere adversus se ullam potestatem, nisi ei datum esset desuper, hoc est, non judicariam & autoritativam, sed duntaxat permissivam: in se utpote innocentem ac Dei Filium potestatem ipsum habere, ex eo infert, *propterea qui me tibi tradidit, majus peccatum habet,* hoc est, quia ex autoritate judicaria & officio Magistratus, quo fungeris, non habes in me potestatem, sed tantum ex divina permissione, inde tu quidem peccas potestate illa contra me utendo ut judicaria, cum sit *potestas tenebrarum*, ac Diabolica, sed illi, qui me tibi tradiderunt, gravius peccant, siquidem ex odio & livore me acculant, falsis criminibus onerant, potestati tuæ me tradunt, vociferationibus suis te obtundunt adeoque invitum cogunt, ut judicaria tua potestate con-



contra me utaris. Sic ergo Judæorum peccatum pronunciat majus, quam Pilati, non ideo solum, quia livore & odio contra Christum accensi in necem ipsius conspirarunt, sed etiam quia potestatem divinitus constitutam suo furori servire cogerunt & sic sancta Dei ordinatione ad nefarium suorum scelerum executionem abusi fuerunt. Neq; tamen Pilatus hac amplificatione criminis Judaici absolvitur vel excusatur, sed ideo Judæi dicuntur majus habere peccatum, ut Pilatus intelligat, se etiam aliquid habere, neq; enim propterea hoc est nullum, quia illud majus est, ut rectè monet Augustin. tract. 116. in Joh. *Excessit Pilati culpam facinus Judæorum, sed nec ipse evasit peccati reatum, quando reliquit proprium iudicium & in crimen transit alienum, ut loquitur Leo serm. 8. de passione c. 2.* Obliq; igitur etiam ipsius Pilati peccatum accusatur, quod ipse ut homo prudens ex verbis Christi facile intelligere poterat. Judæi erant foris extra prætorium, nec audiebant hanc Christi admonitionem, intentio igitur & scopus Christi fuit Pilatum hac comparativa locutione peccati sui admonere, quamvis obliq; & consecuti vè tantum illud notaret. Non improbat timorem illum, quem Pilatus in animo suo conceperat ex eo, quod audiret, Jesum esse Dei Filium habitum, sed eundem potius confirmat tanquam iustum, interim comparatione cum peccato Judæorum minuit quodammodo delictum Pilati in se, hoc est, in eum, in quem nulli legitimæ potestatis jus habebat, commissum. Sed cur maluit Christus obliq;, comparatè & consecutivè, quam directè & apertè Pilatum de peccato in flagellatione commisso & in crucifixionis sententia adhuc committendo admonere? Nequaquam cogitari potest, Christum fuisse reveritum Pilati potestatem, quam desuper ipsi datam tam clarè admonet; nec cogitari potest, voluisse ipsum aucupari favorem Pilati, sicut complures ministri Ecclesiæ in arguendis hominum, præsertim magnatum peccatis ex metu vel favoris aucupio solent esse remissiores. Quidam respondent, Christum ideo noluisse apertè & sine comparatione Pilatum redarguere, ne videretur hoc agere, ut terrendo iudicem à cruce liberaretur. Sed non verat Pilato constare de sua innocentia, interim tamen ipsum homines magis quam Deum revereri. Rectius igitur dicitur, Christum hac comparatione & obliqua redargutione suam in iudicando æquitatem ac mansuetudinem declarare voluisse. Insigni omninò in injuria Christus in flagellatione à Pilato erat affectus, ne verò ex impatientia vel vindicta cupiditate redargutio videatur procedere, ideo non exaggerat Pilati peccatum, sed comparatione cum peccato Judæorum quodammodo minuit. Nos vel leviter à proximo offensi verbis acerbis illud exaggerare solemus, præsertim si injuria sit adhuc recens, sed Christus æquo mentis libramine judicat, seq; ex corde nitentem esse ostendit Mat. 11. v. 28. dum atrocissimum Pilati facinus non plus æquo exaggerat. Evidens verò testimonium in his Christi verbis proponitur, peccata non esse paria, sed alia aliis atrociora. Stoicorum opinio erat, omnia peccata esse paria, quam teste Augustino libro 2. De sentent. Jacobi ad Hieronym. c. 3. Jovinianus in Ecclesiam olim introducere volu-

it, sed præter hoc manifestum Christi dictum extant etiam alibi clara & perspicua testimonia de gradibus peccatorum & consequenter etiam pœnarum. Ezech. 16. v. 47. *Sceleratiora fecistis illis in omnibus viis vestris. v. 51. Justificasti sorores in omnibus abominationibus, quas operata es. 1. Tim. 5. v. 8. Qui suorum curam non habet infideli deterior est. 2. Petr. 2. v. 20. Posteriora sunt peiora prioribus.* De distinctis pœnarum gradibus loquuntur dicta. Matth. 10. v. 15. c. 11. v. 21. Luc. 12. v. 47. &c. Gregorius in Psalmo 3. *Pœnitent. Tribus modis peccatum admittitur, aut ignorantia incurritur, aut infirmitate committitur, aut studio perpetratur, sed sicut gravius est infirmitate quam ignorantia delinquere, ita pejus est studio quam infirmitate peccare.* Jesuita quidam etiam nostris Ecclesiis hunc errorem affricare conantur, ut patet ex Campiano rat. 8. Sed ab hac calumnia nos liberat ipse Bellarminus libr. 3. de Justificat. c. 6. *Lutherani non dicunt, quòd sciam, virtutes esse pares, aut paria esse peccata.* Quot verò modis peccatum unum gravius sit altero, alibi exposuimus. Peccatum Judæorum erat gravius peccato Pilati non ratione objecti, quia utrique in ipsum Dei Filium fuerunt injurii, sed ratione operantis, quia Pilatus erat Ethnicus destitutus luce cognitionis divinæ, sed Judæi ex Scripturis nosse poterant & debebant, hunc Jesum Nazarenum esse promissum Messiam ac Dei Filium. Pilatus metu seditionis & invitus quodammodo Christum condemnat, sed Judæi ex destinata malitia, livore & odio contra Christum peccant & importunis suis clamoribus Pilatum quasi cogunt ad Christi condemnationem. Ita adhuc plus peccant impii hypocritæ accusando hæreseos & calumniis deformando veros Christi confessores, quam Magistratus civiles eosdem persequendo, propterea quòd hi plerunque ignari sunt Scripturarum & controversiarum religionis, illi verò eruditi in Scripturis & scientes veritatem: hi spectant solummodo politicam tranquillitatem, quam quia persuasi sunt turbari a piis confessoribus, ideo eandem in exilium abire jubent, illi verò odio & crudelitati suæ serviunt. Porrò hæc Christi concio tangit cor Pilati, ut in proposito liberandi eum confirmetur. *ex terts ex eo* (inquit Evangelista) *querebat absolvere eum. ex terts ex illo tempore, ut pleriq; exponunt.* Sed cum etiam antea Pilatus variis modis ac mediis Christum dimittere quæsierit, ideo Augustinus illud *ex terts* putat non esse positum pro eo, quod est, *ex hoc tempore*, sed pro eo, quod est *ex illa causa* vel propterea, sicut & Syrus vertit *נתן לו שחר* propter hoc, ne scilicet peccatum haberet innocentem occidendo, licet minus quam Judæi innocentem tradendo. *Exinde, inquit, id est, ideo ne hoc peccatum faceret, non nunc primum, sed ab initio querebat eum dimittere.* Sed familiare est Johanni usurpare *ex terts* pro eo quod est ex illo tempore. Johann. 6. v. 66. sicut etiam *μὴ ταῦτα & μετὰ τὸτο* in temporis notatione sæpius usurpatur 1. Regum. 17. vers. 17. Esther. 3. v. 1. Joh. 2. v. 12. c. 3. v. 22. &c. ideo etiam hoc loco *ex terts* sic intelligendum, quod Pilatus ex illo tempore modis omnibus quæsierit Jesum absolvere. Quamvis enim etiam antea variis mediis id ipsum tentarit, tamen importunis Judæorum clamoribus victus incipiebat labascere &

à pa-



à patrocínio Jesu quippiam remittere, nunc verò peccati sui admonitus & Jesu modestiam, æquitatem, patientiam ac innocentiam; Judæorum verò malitiam, invidiam & crudelitatem coram intuentis denuò toto animi impetu ad liberandum Jesum propendit, ac majoribus viribus, quàm antè, ipsum liberare conatur. Commendatur autem hac in parte Pilati æquanimitas & clementia. Haud obscurè à Christo reprehensus & peccati accusatus erat, tantùm verò abest, ut reprehensionem illam impotenti animo & iniquè ferat, ut potiùs de aliis occasionibus liberandi Christum circumspiciat. Utinam in Christianis Magistratibus hoc perpetuò obtineret, ut simili æquanimitate delicta sua argui paterentur! Judæi intelligentes Pilatum planè decrevisse, quod velit Jesum liberare, ac parùm curare crimen hæreseos & blasphemie ipsi intentatum, redeunt ad priorem accusationem seditionis & affectati regni. Nec simpliciter crimen illud repetunt, sed addunt comminationem, se hanc causam ad tribunal Cæsaris delaturos, quod hominem seditiosum, regni affectati reum absolvat, ex quo conjectare in proclivi sit, quàm gratum id futurum sit Cæsari Romano, cujus Vicarium & ministrum agat. *Si hunc absolueris, non es amicus Cæsaris, quicumq; se Regem facit, contradicit Cæsari.* Si hunc hominem, qui se Regem professus est & concitata in populo seditione imperium affectavit, dimittis liberum, ipso facto declaras, te non esse fautorem & amicum Cæsaris, cum non tuearis ipsius jura & perduellem illius pro merito non punias. Potest etiam exponi hoc modo, *non es amicus Cæsaris, hoc est, incurres gravissimam illius offensam;* ubi intellexerit ex nostra accusatione, hunc seditiosum hominem à te dimissum esse liberum, omnem gratiam & favorem illius deperdes, cum præcipuè tibi commissa sit hæc cura, ut seditionibus occurras & turbatores Reipublicæ ac hostes Cæsaris maturè è medio tollas. Sic ergò non tam Jesum, quàm Pilatum his verbis Judæi accusant, quod gerat se ut rebellem & inimicum Cæsaris, patrocinando seditionis Reipubl. & Cæsaris hostibus, cum contra ipsi pro majestatis Cæsareæ autoritate & Reipublicæ salute tantopere sint solliciti. Comminantur etiam se totum hoc negotium Cæsari exposituros, quòd scilicet Pilatus locum ipsius tenens faveat perduellibus Cæsareæ majestatis &c. Revera autem non sic favent Cæsari, ut ejus majestatem & jura cupiant esse salva, contrarium enim vincebant quotidianæ illæ disputationes, an licitum sit censum dare Cæsari, an populus Israëliticus alieno Magistratui subesse debeat, cum tantas acceperit à Deo promissiones &c. uti etiam crebræ seditiones contra Cæsarem excitatæ; sed sic potiùs invident Christo, ut cupiant eum perdere, quibuscunq; possint modis. Addunt per quandam *αιπολογίαν*, *Quicumq; se Regem facit, contradicit Cæsari;* qui in provincia Cæsari Romano subiecta sine consensu & autoritate illius Regis titulum & dignitatem affectat, reipsa declarat se esse adversarium Cæsaris, incurrit crimen perduellionis & læsæ majestatis, violat jura Cæsaris & dignitatem ejus labefactat. *Αντιλέγει*, usurpatur aliàs de contradictione verbali *Oseæ. 4. v. 4. Luca 20. v. 27. Actor. 13. v. 45. Tit. 1. v. 9.* hic verò usurpatur de contradictione reali, quod scilicet, qui se

Regem facit, ipso facto contradicat Cæsari ut ordinario Magistratui: hoc modo *αντιλέγει* usurpatur *Luc. 2. v. 34.* Christus est *signum sui contradicitur*, non solum verbis, sed etiam vi & persecutionibus. *Esa. 50. v. 5. Rom. 10. v. 2. 1.* conjunguntur *απειθεῖς καὶ ἀντιλέγοντες*, quia increduli & inobædientes ipsa vitâ contradicunt Deo. Syrus habet vocem *לִבְּךָ* opposuit se, *adversatus est, repugnavit*, ita enim usurpatur *Rom. 8. v. 33.* Hoc ariete admoto expugnabant tandem animum Pilati, ut à proposito liberandi Jesum desisteret, sicut sequentia ostendent. Apparet autem ex hoc impudenti Judæorum clamore, non esse novum, nec videri debere mirum, si persecutionibus piorum confessorum prætexatur ruina imperii, diminutio autoritatis Cæsareæ, labefactatio disciplinæ Ecclesiasticæ, &c. metuenda ex eo, nisi maturè seditiosis conatibus & novis doctrinis præconum & confessorum Evangelicorum eatur obviam. Solemur verò nos exemplo Christi capitis nostri & *in patientia possidemus animas nostras* *Luc. 21. v. 19.*

*Christi ad mortem crucis condemnatio.* Cum Pilatus audisset hunc sermonem, quod scilicet metuenda sibi sit offensa Cæsaris, si Jesu Nazareno favere pergeret, produxit Jesum foras & consedit pro tribunali, &c. Hactenus strenuè laboraverat, neque quicquam intentatum reliquerat, ut Jesum, quem innocentem esse cognoverat, ex manibus Judæorum liberaret: jam verò de studio suo remittit, ac se quasi victum & captivum Judæis tradit, veritus scilicet, ne apud Cæsarem de crimine perduellionis à Judæis accusatus, gratia ejusdem & officii dignitate excideret. Cogitat ergo fatius esse innocentem condemnare, quam periculis non necessariis, famam, dignitatem, officium, suaque omnia committere. Vulgata versio in plurali reddidit. *Cum Pilatus audisset hos sermones*, sicut etiam quidam Græci Codices legunt, sed pleriq; omnes in singulari habent *τὸν λόγον*, sicut etiam Syrus vertit. Concussus fuerat hactenus Pilatus tumultuosis populi clamoribus, jam verò penitus prosternitur & succumbit audito Cæsaris nomine. Produxit igitur Jesum foras, hoc est, è prætorio, in quo eum examinaverat, educi jussit, ut voluntati Judæorum obsecutus eum condemnaret, quam obrem *consedit pro tribunali* judicis habitum præ se ferens. Jam antè etiam pro tribunali sederat, cum uxoris nuncium ipsi afferebatur, sed examinis causâ prætorium iterum ingressus erat & cum Judæis de innocentia & liberatione rei disceptans steterat, jam vero decisivam sententiam pronunciaturus pro tribunali sedit. Moris fuit apud Romanos, judices officium suum exercere cupientes *sedere pro tribunali* *Actor. 25. v. 6.* ut monerentur animo sedato & ab affectum motibus libero ad judicia accedendum esse. Juxta hunc morem etiam Pilatus sedit *Ἰνὴ ἔβημα* *pro tribunali*, ut Latini solent loqui. *Ἰνὴ* in genere est locus editior vel sublimior, in quem ascendere solent judices vel oratores à *βαίνα* *incedo, ascendo.* Herodes *δημηγορεῖν* orationem habiturus sedet *Ἰνὴ ἔβημα* *Actor. 12. v. 21.* Paulus à Judæis hæreseos accusatus trahitur ad tribunal Gallionis Achajæ Proconsulis. *Actor. 18. v. 12.* Festus Pilati successor examinaturus Paulum itidem sedet pro tribunali



nali Actor. 25. vers. 6. & quia Præsides loco Cæsaris  
 iudicium exercebant, ideò illud vocatur το θησαυ  
 ρὸν κρίσεως. Actor. 25. v. 10. Sic ergo Christus  
 publica autoritate Cæsaris summi in terris Magi  
 stratus ad mortem fuit condemnatus, ut non ab  
 Ecclesiastico solum, sed etiam politico iudicio  
 reprobatu absolutionem coram tribunali Dei  
 nobis impetraret. Sedit autem Pilatus in loco,  
 qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè verò Gabbatha. Græ  
 cè est λίθων, ex quo intelligitur, quòd pertine  
 at hæc loci notatio non tantum ad verbum λί  
 θων, sed etiam ad ἡρώων, hoc sensu, quòd Pilatus  
 iusserit Jesum adduci in locum illum eminentio  
 rem, in quo tribunal iudicarij conspiciebatur.  
 Λιθόστρωτον in genere neutro est pavimentum lapi  
 dibus stratum, à λιθός & στρών quasi dicat, lapide  
 stratum, στρώννυς enim vel στρώννυμι est sterno, στρώμα  
 quòd infernitur, & στρώντος quòd quocunq; mo  
 do stratum est. Clemens Alex. scripsit octo li  
 bros, quos vocat Stromatum, cujus appellatio  
 nis hanc rationem tradit lib. 1. quòd dicantur  
 στρώματα, id est, stragule varietate contextæ ad mix  
 tam veritatem Philosophiæ decretis vel potius cooper  
 tam & abstrusam, sicut testis aperitur, id quòd est in nu  
 ce esculentum, & in princ. lib. 4. Sunt hæc commen  
 taria varia & contexta ab uno ad aliud continens trans  
 euntia & per verborum quidem seriem aliud significan  
 tia, aliud indicantia. Græcum λιθόστρωτον quidam  
 vertunt lapidipavium, cujusmodi pavementum  
 templi Hierosolymitani fuisse scribit Aristæas  
 το δε πᾶν ἔδαμα λιθόστρωτον καθεστῆκε, constructum  
 lapidibus quadratis opere tessellato. Syrus red  
 didit פאר כותנתא פאר פאר כותנתא lapideum. 2. Re  
 gum. 16. v. 17. vocatur מנחת פאר כותנתא pavimen  
 tum lapideum LXX. usurpant vocabulum λιθόστρω  
 τόν pro פאר כותנתא. 2. Paral. 7. v. 3. Esther. 1. v. 7. Cant. 3.  
 v. 10. Plin. lib. 36. H. N. cap. 25. Pavimenta originem  
 apud Græcos habent elaborata arte picturæ ratione, donec  
 Lithostrota expulere eam. Et aliquantò post Lithostrota  
 captaverunt jam sub Sylla, parvulus certè crustis,  
 exat bodæque quòd in Fortuna delubro Præneste fecit.  
 Pulla deinde ex humo pavimenta in cameras transiere è  
 vitro. Gabbatha terminationem habet Chal  
 daicam vel Syriacam, dicitur autem vox Hebra  
 ica, quia Hebræi tum temporis Chaldaica linguæ  
 Hebrææ mixtâ, quam hodie vocamus Syriacam,  
 pro vernacula utebantur. Vocem Gabbatha  
 plerique deducunt ex radice גבה altus, excelsus,  
 sublimis fuit, ut innuatur locum fuisse editiorem  
 & sublimiorem. Quidam verò formant à גבע  
 Chaldaicè גבעה & גבעה collis, monticulus,  
 qui ab eminentiori altitudine dicitur גבעה Je  
 rem. 2. vers. 20. Quidam deducunt à radice גבה  
 Vel גב quòd est lapidibus viam sternere, ut sic גבה  
 sit locus editor lapidibus stratus, quâ ratione vel  
 Romani tum temporis Hierosolymis agentes,  
 vel Evangelista ipse, quòd Hebraicè dicebatur  
 Gabbatha, propriè transtulissent λιθόστρωτον la  
 pidibus stratus. Syrus pro Gabbatha per B scribit  
 גבבתא per B, quòd Interpres reddidit peribolum  
 seu peripheriam, intelligens ambitum, septum seu  
 coronam, eo quòd locus septus & munitus esset  
 corona è lapidibus sectis artificiosè constructâ.  
 Termellius in notis. Græci ex Hebræo γαββαθᾶ,  
 eò quòd pavimento elevatus esset locus, sed Syrus  
 Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.

vocat γαββαθᾶ, eò quòd esset septus & clausus,  
 גבבא enim est clausus, conclusus, amplexus est, inde גבבא  
 septum, claustrum, peribolus Exod. 26. v. 25. Deuter. 23.  
 v. 8. Sed quia Græci Codices constanter legunt  
 γαββαθᾶ, non autem γαββαθᾶ, ideò dicendum,  
 quòd literæ β & φ cum sint literæ ejusdem organi,  
 videlicet labiales, invicem permutentur. Vide  
 tur autem locus iste Gabbatha sive λιθόστρωτον  
 idem esse cum eo, quem describit Adrichomius  
 in theatro terræ sanctæ, & Xystum vocat, licet  
 eum à lithostroto minùs rectè distinguat. Xystus  
 (inquit) porticus in modum pontis lapidei frequentibus  
 arcibus supra plateam publicam ampla latitudine extru  
 cta ac subdialibus in ambulationibus ornata, quâ à palatio  
 Pilati in Antoniam arcem & inde in templum transitus  
 erat. Ex hoc loco, tuto nimirum, Præsides Romani popu  
 lum, alloqui solebant, in quo stans Pilatus Jesum divè fla  
 gellatum, conspuitum, spineamque in capite gestantem co  
 ronam ac purpureo indutum pallio. Principibus populo  
 que Judaico videndum exhibens, dixit. Ecce homo, ut  
 ita afflicto commisererentur. At illi inconditis vocibus  
 clamabant, Crucifige, crucifige eum. Ubi adhuc visitur ac  
 peregrinis ostenditur arcus quidam lapideus cum hac in  
 scriptione; Tolle, tolle, crucifige. Propter antiquitatem  
 cetera legi nequeunt. In hunc igitur locum, editio  
 rem ac satis tutum Pilatus Jesum adduci iussit,  
 & sententiam pronuntiaturus sedit pro tribuna  
 li, quòd vel fixum ibi erat, vel eò afferri curave  
 rat. Solebant enim Præsides Romani vel domi  
 in Prætorio, vel quocunq; loco oportuno  
 videbatur iudicare & eò tribunal sibi afferri cu  
 rare, inde Joseph. lib. 18. antiq. Jud. cap. 4. narrat,  
 quòd Pilatus aliquando sederit pro tribunali in  
 stadio captatâ loci oportunitate, quòd aptis  
 simus esset insidijs, quas populo struebat. & lib. 2.  
 de bell. Judaic. cap. 14. commemorat, quòd Flo  
 rus ante regiam tribunal adversus Judæos sibi  
 extruxerit. Sic Pilatus in locum publicum &  
 eminentiorem, videlicet in lithostrotum sive  
 Xystum, ante prætorium tribunal sibi constituit,  
 sicut etiam apud Judæos olim in portis judicij  
 exercebantur Deuter. 21. vers. 19. Ruth. 4. vers. 1.  
 Psalm. 127. vers. 5. & adhuc hodie in loco publico  
 audientibus & videntibus omnibus supplicia fa  
 cinorosis denunciantur. Sanctè enim & cum  
 reverentia quadam erga Deum & homines ju  
 dicia sunt exercenda, cum Dei nomine & loco  
 exerceantur 2. Paral. 19. vers. 6. Rom. 13. vers. 4.  
 Hebræi veteres dicunt, Angelos Domini iudicij  
 interesse. Franciscus Alvarezius scribit, Judices in  
 Ethiopia confidentes ad iudicium relinquere vacuas in  
 editiore loco cathedras duodecim ac dicere has esse sedes  
 Angelorum. Forma igitur hujus iudicij optimè  
 videtur composita, producit accusatus in pu  
 blicum, iudex sedet ad ferendam sententiam,  
 sed reverà tribunal Pilati fuit injustitiæ & crude  
 litatis thronus, quo enim sublimior est locus, in  
 quo Christus injustè fuit condemnatus, eò con  
 spectior est ipsius innocentia & Judæorum truci  
 lentia. Ut autem Christus hic damnatur in loco  
 sublimi & excelso, ita adhuc hodie in mundo  
 usitatum est, quòd Filius Dei cum suo Evangelio  
 in locis excelsis, hoc est, in regnis hujus seculi & à  
 potestatibus sublimioribus damnatur. Atque id  
 eò è sublimi damnari innocens voluit, ut ipse sum  
 mus



mus iudex è cœlo veniens nos reos ac nocentes absolveret. Hæc damnatio Christi in propinquo erat, cum Pilatus pro tribunali in lithostroto, confideret. Quamvis enim nondum plane ac plenè constituisset Christum condemnare, siquidem ablutione manuum Christi innocentiam testatur & culpam injusti iudicii in Judæos transfert, tamen in illam partem magis propendebat, ut Jesum damnandum esse statueret, ne Cæsaris gratiâ sibi excidendum esset. Videmus igitur quam gravis sit tentatio, quando cum offensione Regum, Principum & Magnatum hujus seculi Christum confiteri debemus, in qua plurimi omninò succumbunt. *Multi ex Principibus credebant in Jesum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ne è Synagoga ejicerentur, dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei, inquit Johannes c. 12. v. 42. & 43.* Eadem adhuc hodie fabula in mundo agitur, multi crederent Evangelio, nisi de gratia apud homines conservanda magis solliciti essent, quàm de gratia Dei. Poterat Pilatus carnali quadam prudentia multas rationes consilio suo prætexere. Solenne erat Judæis alieni jugi impatientissimis Præsides suos ad Cæsarem deferre & in periculum maximum eosdem adducere, hoc ergò malum præcavere cogitat. Noverat, multos etiam falsi criminis delatione apud Cæsarem fuisse gravatos, cavendum igitur censebat, ne veri criminis speciem delationi suæ obvertere possent. Quamvis enim audierat, regnum Christi non esse de hoc mundo nec adversari Cæsaris regno, metuendum tamen erat, ne aliorum hoc ad se delatum Cæsar acciperet ac præjudicium sui imperii interpretaretur, quòd Christus sese Judæorum Regem fuerat professus. Noverat, Cæsarem more omnium Magnatum imperii sui auctoritatem maximè velle assertam, ideò modis omnibus præcavendum censebat, ne illi vel minima ex parte detraxisse videri possit. Præterea strenuè hæctenus pro liberatione innocentis laboraverat, ratus ergo se conscientiæ suæ satisfecisse, manus remittit. Judæi in se omnem culpam recipiebant, illorum igitur desiderio ac voluntati hac in parte obsequendum iudicat. Videbatur præsentissimum seditionis periculum imminere, statuit igitur, consultius esse multorum à deoq; totius populi commodo, quàm unius solum liberationi intentum esse, cum seditio sit ingens jactura, imò eversio Rerum publicarum. Videbat Christum esse abjectæ conditionis hominem, cui nemo patrocinium præstaret, ideò cognatis atque affeclis ipsius nihil quicquam metuendum esse, si vel maximè præter meritum condemnaretur, sed Cæsaris iram atq; offensam magnoperè pertimescendam esse. Videbatur Christus tam pertinaciter tacens sibi ipsi deesse, cur igitur iudex officium Advocati subiret; Cogitabat Pilatus, Christum quidem innocentem esse, extremo tamen ab omnibus odio haberi, proinde fortasse non esse ita innoxium, ut sibi quidem appareat &c. Hæc & similia Pilatus instituto suo prætexere poterat, sed nihil horum omnium ab injustitiæ culpa coram Deo ipsum liberare poterat, quòd propter Cæsaris gratiam conservandam innocentem condemnaverit an mortem. quòd nunquam perductus fuisset, si vera Dei cognitio cum vero timore & pietate conjuncta in ipsius animo locum habuisset. Ita nimirum politica virtutes Ethni-

corum ac hominum non renatorum in Ecclesia, destituta salutari cognitione & timore Dei, tandem in turpissima flagitia desinunt & velut herba radice carens in aestu tentationum exarescunt. Admonitus erat Pilatus à Christo de suo peccato, sed pluris facit sermonem, quem audit de Cæsaris quam de Dei offensa. Timet gratiâ Cæsaris & officii dignitate excidere, si stricto justitiæ tramiti insistat, ideò ab eo desectendum esse censet, quâ in parte iudices quamplurimi Pilatum sequuntur, sed quod impius timet, accidit ei. Proverb. 10. v. 20. Tantum enim abest, ut injusta Christi condemnatione Cæsaris gratiam Pilatus sibi compararit perpetuam, ut brevi potius tempore, exacto scilicet trionio, & Cæsaris gratiâ & officii dignitate fuerit privatus. Refert enim Josephus libr. 18. antiq. Judaic. c. 5. Ipsum à Vitellio coactum esse Romam proficisci, ut apud Cæsarem de objectis sibi à Judæis criminibus se purgaret. Eusebius libr. 2. Hist. c. 7. Orosius libr. 7. Hist. c. 5. & Nicephorus libr. 2. Hist. Eccl. c. 10. testantur, ipsum in tantas incidisse calamitates, ut tandem factus fuerit *εὐνοῦς τῶν Ἰουδαίων ἀποστόλεω, sui ipsius carnifex suâ se manu transverberans & nefariam vitam vi abruptens.* Extat. tom. 1. Orthodoxograph. Epistola Pilati ad Cæsarem Tiberium, in qua luculentum præbet innocentiam, miraculis & resurrectione Christi testimonium, seque in Judæorum gratiam crucis supplicio ipsum adjudicasse fatetur. Sed hujus injustitiæ & crudelitatis meritas tandem dedit pœnas, in quod exemplum iudices intuiti Deum magis quàm homines timendum esse discant, ut *timor Dei in iudiciis exercendis sit cum ipsis.* Paral. 19. v. 6. ne innocentem in gratiam hominum condemnent. Videmus etiam hoc loco, quòd ubi semel à regio justitiæ tramite fuerit discissum, subinde major sequatur aberratio. Pilatus Christum flagellandum tradens contra conscientiam suam egerat, innocentem præter meritum affligens, mox eò injustitiæ abripitur, ut in gratiam Judæorum, cum primis verò ob metum offensa Cæsarea penitus eum morti tradat. Itanimirum lanx iusti & æqui in partem alteram ab injustis iudicibus depressa pondere suo magis magisque postea prolabitur. Porro addit Evangelista notationem temporis, quo hæc omnia fuerint gesta, ut & diem & horam, qua Christus crucifixus fuit, intelligamus, mox enim ut Pilatus pro tribunali consedit, mortis sententiam in Christum protulit, & prolata sententiâ statim ad supplicium Christus fuit raptus. *Erat (inquit) parasceve Pasche hora sermesexta.* Parasceven Paschæ quidam intelligunt de primo Paschatis die, ut obtineant & Christum & Judæos uno eodemq; die agni paschalis Sacramentum celebrasse. Sed hæc interpretatio est valde coacta, & ostendit exemplum illius regulæ, quòd multa cogantur malè & coactè interpretari, qui unum nolunt rectè intelligere. Ostendimus suo loco, Judæos traditiones majorum suorum secutos tum temporis non celebrasse Pascha eodem die decimo quarto, quo Christus cum discipulis suis juxta præscriptum legis divinæ illud celebrabat, sed in diem sequentem illud rejecisse, ne duo Sabbatha five feriæ magnæ immediatè invicem conjungerentur. Dicitur igitur *Parasceve Pasche* dies immediatè præcedens Paschatos festum, in qua solebat fieri preparatio



eorum, quæ erant ad festum necessaria. Marcus vocat *παρασκευή* c. 15. v. 42. quod Interpres vertit ante sabbatum, erat enim pridiana dies Sabbathi, dies proximè præcedens Sabbathum, in quod Pascha festum Judæi rejecerant. Apud nos est *seria sexta*, dies scilicet illa, in qua Deus hominem totius universi epitomen condidit Genes. 1. v. 31. Theodoret. quæst. 72. in Exod. Ergo quòd Christus eadem die voluit mortis supplicio adjudicari, eo ipso ostenditur, quòd Christus morte suâ opus redemptionis, quæ est ἀνάγκη καὶ ἀνάγκη quædam, ut loquitur Justinus, perfecit. Exprimitur etiam ipsa hora, quòd scilicet fuerit hora fermè sexta. Theophyl. *Sexta die homo est conditus, qui & sexta hora de ligno comedit, quâ igitur hora Dominus hominem condidit, eadem & lapsus curavit, sexta die & sexta hora cruci affixus.* Sed cum Marc. c. 15. v. 25. dicat fuisse horam tertiam, cum Christus crucifigere, quomodo potuit esse sexta, cum Pilatus pro tribunali sedens mortis sententiam in eum tulit? Augustinus tractat. 117. in Joh. sic conciliat, quòd horâ tertiâ crucifusus fuerit Christus linguis Iudeorum blasphemantium, sexta autem horâ manibus militum. Erat hora sexta, quando Pilatus sedit pro tribunali, sed ne hoc facinus in Romanos magis, quam Iudeos retorqueretur, ideò Marcus dicit, Christum horâ tertiâ crucifixum, quia scilicet Iudæi circa illud tempus clamaverant, *Crucifige.* Sed hæc conciliatio videtur quodammodo coacta. 2. Longè verò coactior est illa altera, quam Augustinus ibidem subjungit, *Pascha* (inquit) *est immolatio Christi, cui parascève, id est, preparatio ab hora noctis nona cæpit, quâ in domo Pontificis pronunciata est mors Christi à dicentibus, reus est mortis, ab illa hora noctis nona usque ad diei tertiam sex horæ sunt preparationis, tres scilicet noctis, tres diei, quarum sexta jam cæperat, cum Pilatus tribunal ascendit, quod adhuc erat preparatio immolationis, quæ facta est secundum Marcum tertiâ nona preparationis sed diei, & eadem est sexta preparationis.* 3. Quidam statuunt, Christum horâ diei tertiâ, quæ nostræ nonæ respondet, crucifixum; quòd Johannes eam vocat *horam sextam*, id explicant dictum esse ex consuetudine Romanorum, qui diei initium à media nocte fecerunt. Quod si Hierosolymis (inquiunt) horâ quartâ post medium noctis Sol exortus sit, duæ horæ elapsæ sunt, donec Pilatus animo fractus Judæis Christum traditurus erat, ubi tamen hora adhuc effluxit, dum de ipso servando egit & tandem traditus, eductus & crucifixus est. Atqui vix videtur statui commode posse, hæc omnia trium horarum vulgarium spaciò contigisse, posteriorem Christi condemnationem factam à Pontificibus & Senatu Ecclesiastico, abductionem Christi ad Pilatum, accusationem, examen, absolutionem ejus apud Præsidentem, ablegationem ejusdem ad Herodem, reductionem ad Pilatum, nuncium uxoris Pilati, collationem cum Barabba, flagellationem, productionem Jesu, accusationem novam, examen novum, absolutionem iteratam, traditionem ad mortem crucis, productionem latronum, eductionem ad locum clavarie, eamque lentam propter Christi lassitudinem, ipsam denique crucifixionem. 4. Theophylactus putat pro γ scriptum, sicut etiam Petrus Comesstor ex autoritate Hieronymi monet in Marco itidem scriptum fuisse, quòd Dominus crucifixus fuerit horâ sextâ, verum id Scriptoris vitio

Harm. Tom. III. vel Gerbard. Contin. pars quarta.

mutatum fuisse, qui pro ε (quæ græcis litera non est, sed literis mixta est nota numeri, sequitur enim quæ Græcis significat quinque; & præcedit ζ quæ notat septem) pinxerit γ quæ signat ternarium. 5. Quidam contra statuunt apud Johannem corruptum esse textum & pro sexta hora legendam esse tertiam. Camerarius enim in annot. Marci refert, quòd veterem quendam librum MStum habuerit, in quo apud Johannem legebatur ὥρα δ' ὡς τρίτη, ac Nonnus Scriptor vetustissimus, qui Evangelium Johannis verbis Græcis reddidit, hunc numerum retinuit, scribens: ἡ δὲ τιτανομένη τρίτη θανάτου ὥρα. Petrus Alex. in disputat. de Paschate: ὥρα ἡν ὡσεὶ τρίτη, καθὼς τὰ ἀκριβῆ βιβλία πείθει, αὐτὸ τε τὸ ἰδιόχαρον ἔναυ γελιά σπερ μέρει ἔνν πεφύλακται χάρατι θεῶ ἐν τῇ ἐφεσίῳ ἀνωγομένη ἐκκλησία καὶ τῶν τῶν ἐκείσε προσκυνῶντων. Erat hora quasi tertia, sicut habent libri accuratè descripti, atque adeò ipsum autographum manu propria Johannis Evangeliste scriptum, quod gratie Dei ad hanc diem servatum extat in sanctissima Ephesorum Ecclesia & à fidelibus eò accedentibus magnâ cum reverentia invisitur. Sed cum tempus ab Evangelistis non fuerit expressum notis numeralibus, sed integris dictionibus, ideò suspicio de corruptione textus hic non habet locum, ad quam etiam aliàs non nisi extremâ necessitate urgente est descendendum. 6. Simplicissime igitur respondetur Judæos ut noctem in quatuor vigiliis, ita diem in quatuor quadrantes distribuissent, ut probant Autores Histor. Eccles. Magdeburg. Cent. 1. libr. 1. cap. 10. p. 340. ex Censorin. libr. de die natali cap. 10. Hi quadrantes fortiebantur nomina ab illa hora, in qua initium sumebant. Primus quadrans erat à prima usque ad tertiam: secundus à tertia usque ad sextam: tertius à sexta usque ad nonam: quartus & ultimus à nona usque ad duodecimam. Quando igitur Johannes dicit, fuisse horam fermè sextam, cum Pilatus pro tribunali federet, non hoc vult, quòd jamdum præcesserit meridies & auditum fuerit sextæ horæ signum, sed quòd in secundo quadrante, hoc est, tempore inter tertiam & sextam horam intermedio hæc contigerint, unde notanter addit particulam ὡσεὶ, erat fermè sexta vel circiter horam sextam innuens nondum præterisse sextam. Marcus eodem sensu dicit fuisse horam tertiam, hoc est, quadrantem illum, qui ab hora tertia incipit & in sextam desinit. Duplex igitur fuit distributio diei apud Iudæos. Primo enim diem integrum distribuerunt in horas duodecim. Ioh. 11. v. 9. *Nonne duodecim sunt hora diei?* & hæc computatio intelligenda est, quando mentio fit *horæ decimæ* Ioh. 1. v. 39. *horæ septimæ* Ioh. 4. v. 52. *horæ undecimæ* Matt. 20. v. 9. Deinde etiam dividerunt integrum diem in quatuor æquales quadrantes, quorum quilibet tres horas complectebatur, unde hora prima, tertia, sexta & nona in Scriptis Evangelistarum præ reliquis sunt celebratiores, quia prima fecit initium quadrantis primi, tertia secundi, sexta tertiæ & nona quarti. Ac verisimile est quadrantes illos non solum scietico quodam in templo fuisse distinctos cum templo illi nihil ad ornatum ac magnificentiam defuerit; sed etiam signo quodam publicè dato promulgatos fuisse, quòd signum tertiæ quadrantis à sexta hora incipientis, cum nondum fuisset audi-



tum, quando Pilatus tribunal occupabat, ideò Marcus dicit, Christum *hora tertiâ* fuisse crucifixum, hoc est, intra quadrantem secundum ab hora tertia incipientem, ad finem tamen vergentem, ut intelligitur ex Johanne, qui dicit *horam sextam* in propinquo fuisse. Quidam distinguunt inter *horas orationis & horas diei*, illas quaternario, has verò duodenario fuisse comprehensas, ac proinde Evangelistas passionem Domini, utpotè rem sacram describentes, horas templi & orationis fuisse secutos. Sed divisionem illam diei in quatuor quadrantes non in oratione solum & rebus sacris, sed etiam in secularibus negotiis usitatam fuisse colligitur ex parabola Christi Matth. 20. Condemnatus igitur est Christus ad mortem *circa horam sextam*, hoc est, in ipsa meridie, quando fervor Solis consuevit esse maximus, siquidem æstu iræ divinæ propter peccata nostraangebatur, absq; eo si fuisset, nec Pilatus nec Judæi crucis supplicium ipsi irrogare potuissent. Ideò quoq; circa meridiem, quo tempore Solis æstus consuevit esse maximus, crucifigi voluit, ut ostenderet, se ex magno caritatis fervore pati. Summo mane ad prætorium Pilati Judæi convenerant, sed non nisi circa meridiem magnis conatibus & clamoribus tandem obtinuerunt, ut Christus crucifigeretur, ex quo intelligitur, quàm pertinaci & implacabili odio contra Christum flagrarint.

Antequam verò Pilatus mortis sententiam in Christum ferret, adhuclaborat ipsum è manibus Judæorum liberare, videns enim eum è prætorio adduci, dicit Judæis, *Ecce Rex vester*. Sed Judæi ferinos suos clamores iterant. *Tolle, tolle, crucifige eum*. Pilatus contra. *Num Regem vestrum crucifigam?* respondunt Pontifices, *non habemus Regem, nisi Cæsarem*. Quod Pilatus Christum denuò vocat Regem, id quidam ironicè dictum accipiunt, quòd illuserit hoc pacto Judæis accusantibus hunc hominem abjectum, vilem & contemptum de affectato regno, à quo Monarchiæ Cæsareæ periculum (si Diis placet) imminet. Theophylactus sic interpretatur: *Ecce qualem hominem dicitis affectasse regnum, vilem scilicet & nihil tale attentare ausum, falsa igitur est accusatio vestra*. Sed ostendimus superius, Pilatum his verbis eò respicere, quòd ante quatrimum publicâ acclamatione salutaverint illum Regem, quem hic cupiant perditum, ut sit sensus: Jam olim expectatis Regem vobis promissum, nunc ubi apparuit, extinctum illum cupitis? consulite vestro honori, ne dicamini furenter persecuti eum, cui regium honorem ipsimet tribuistis? Cæsar non metuit sibi ab hoc Rege, vos modò illius miseremini & ad crucifixionem ipsum deposcere cessate. Si verè est Rex vester, cur tanto furore ad tam atrox supplicium postulatis eum, cujus honorem tueri deberetis? Sin falsò se jactavit Regem, ignoscite flagellis castigato & ob hanc temeritatem satis dura perpeffo. Sic ergò Pilatus arcano Dei instinctu Jesum profiteretur esse Regem, antequam crucis supplicio eum addicat, sicut etiam postea crucis *Triquetra* regium nomen & honorem Christo asserit, ut intelligamus ideò & propterea Christum mori, quia est Rex noster, principatus ejus super humerum ejus Esaia 9. v. 6. Ideò enim mortem subit, ut nos ex regno Satanæ liberare & in regnum gratiæ transferre possit, unde Apocal. 1. v. 5. de ipso dicitur, *quòd dilexerit nos & laverit nos è peccatis nostris suo sanguine*. v. 6. *& fecerit nos Reges*

*& Sacerdotes Deo & Patri suo*. Sed qualis Rex in oculis Judæorum, tale etiam ipsius regnum in oculis hujus mundi. Clamant Pontifices: *Tolle, tolle, crucifige eum, non habemus Regem nisi Cæsarem*. Immane fuit hoc odium & detestandus furor Judæorum. Quia enim penes Pontifices erat summa potestas & autoritas Ecclesiastica, ideò non pro se tantum, sed etiam totius populi nomine verum Messiam repudiant, seq; alieno Romani Cæsaris imperio subjiciunt. Finge, Jesum Nazarenum non fuisse verum Messiam ac Regem divinitus promissum, nullam tamen exultationem furori suo obvertere possunt, quòd præter Cæsarem nullum alium Regem se agnoscere profiterentur, quorsum igitur querela de jugo Magistratus alieni? quorsum gloriaciones de venturo Rege liberatore? Factum autem iusto Dei judicio, quia tyrannidem Romanam iustâ gubernationi prætulerunt, ut sub alieno Magistratu in hunc usque diem degant & in Imperio Romano exules vivant. *Domum petram, que genuit ipsos, obtinuerunt tradiderunt & oblitii sunt Domini creatoris sui*. Deuter. 32. v. 18. inde etiam Deus ipsorum oblitus est. Præposteri hi ædificatores reprobarunt lapidem angularem Psalm. 118. v. 22. factum inde, ut totum ipsorum ædificium corrueret. Repudiarunt Christum Regem suum proprium divinitus datum, inde jugo alieni imperii adhuc premuntur. Debuissent osculari hunc suum Regem, *ne exardesceret ira Domini contra ipsos* Psalm. 2. v. 12. sed quia clamant, *nolumus hunc regnare super nos* Lucæ. 19. v. 14. *ideo porrovent ira Dei super illos usque in finem*, 1. Theff. 2. v. 16. *juxta vaticinium Psalm. 69. v. 5. effunde super eos iram tuam & furor iræ tuæ comprehendat eos*. v. 26. *fiat habitatio eorum deserta & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*. Quia clamant, *tolle, tolle*, hoc est, ut postea contra Paulum clamant Act. 22. v. 22. *tolle de terra hujusmodi hominem, non enim fas est eum vivere*, ideò etiam sublatum est ipsorum regnum, regio, & nomen. Similes omninò sunt Judæi illis arboribus, quæ in parabola dicuntur ad rhamnium: *Veni & impera super nos* Judic. 9. v. 14. sed accidit illis idem, quod in parabola sequitur vers. 15. *egredietur ignis de rhamnio & devoret cedros Libani*. Cæsarem sibi elegerunt Regem repudiato Christo, à Cæsare igitur iusto Dei judicio postea sunt deleti. Euthymius etiam hoc notat, quòd ipso Paschatos festo, quo clamaverant, non habemus Regem nisi Cæsarem ab Imperatore Tito ad internecionem traditi sint divina protectione nudati. Lutherus in libro contra Judæos eruditè colligit ex hoc loco, Judæos cogi posse ac debere, ut legibus Romanis sese conforment, ab usuris desistant & promissiones sibi datas jactitare cessent, quia Cæsari Romano majores ipsorum sese spontè subjecerint. Nos verò moniti Judæorum poenis caveamus, ne Christum Regem nostrum repudiemus, id quod fit non solum verbis, sed etiam, imò vel maximè etiam impiâ vitâ. Qui verè & ex animo Christum agnoscit Regem, is patietur se regi sceptro hujus Regis, videlicet verbo Luc. 6. v. 46. *Quid vocatis me, Domine, Domine, & non facitis que dico vobis?* En qui non obsequuntur voci & præceptis Christi, nondum verè ipsum agnoscunt Regem ac Dominum, si vel maximè pleno ore de hoc Rege glorientur.

Sed redeamus ad Historiam: *Pilatus videns, quòd nihil*



nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua ablu-  
it manus coram populo dicens: *Innocens sum à sanguine  
hujus justis, vos videritis.* Quò magis nitebatur Pilatus  
Jesum absolvere, eò vehementius reluctabantur Judæi,  
postulantes ut crucifigeretur, ergo ut  
nante vim majorem tempestatis experti tandem  
cedunt, seq; in contrarium cursum capi sinunt; sic  
Pilatus pertinacem Judæorum voluntatem de  
Christo interficiendo videns, seq; ad excitatum popu-  
li tumultum compescendum imparem esse ani-  
madvertens deposita judicis autoritate insanos ac-  
cusatorum clamores sequitur. Videbat *ὅτι ὁ δὲν ὠφε-  
λεῖ, quòd nihil proficeret* adhibita quacunq; Jesum liberandi  
ratione ac viâ, ita enim usurpatur hoc verbum Marc. 5. v. 26. *erogaverat omnia sua, μηδὲν ὠφε-  
λεῖ, neq; quicquam profecerat* Joh. 12. v. 19. *Vide-  
ris, ὅτι ὁ δὲν ὠφελεῖ, quòd nihil quicquam proficiat is.*  
Quia verò ὠφελεῖ significat etiam profum, *juvo, utilis  
sum*, quo sensu usurpatur Matth. 15. v. 5. Joh. 6. v. 63.  
Rom. 2. v. 25. id eò etiam sic potest verti; *Videns Pi-  
latus, quòd nihil juvaret*, hoc est, quòd nihil quicquam  
eorum, quæ ad liberandum Jesum excogitaverat  
& adhibuerat, ad hunc finem utile & efficax esset.  
Syrus habet verbum *ܢܪܢܐ* quod est *prodesse, lucrari*,  
Item *ܢܪܢܐ* *superesse, reliquum esse*, quæ significatio itidem  
huic loco congruit, videt enim Pilatus se nihil  
quicquam congruit, ideo nihil esse amplius reli-  
quum, quàm ut populi desiderio obsequatur. Videt  
etiam, tumultum & seditionem potius oriri in popu-  
lo, quàm ut de suo contra Christum odio quic-  
quam remitteret, eò quod difficilem sese præberet  
Pilatus & moras neceret in condemnando Jesu,  
jam dum enim dies ad meridiem vergebat & solen-  
ne Paschatos festum imminerebat. *ܕܘܥܘܥܘܢ* significat  
tumultum, turbas Marc. 5. v. 38. pro seditione usurpat  
Actor. 20. v. 1. c. 21. v. 38. Etymol. ex *ܕܘܥܘܥܘܢ* & *ܕܘܥܘܥܘܢ*  
factum esse tradit, Eustathius ex *ܕܘܥܘܥܘܢ* & *ܕܘܥܘܥܘܢ*  
est tumultuosè adversus aliquem rixari. Apud Antiph. tumultuosè alicui reclamare,  
nam in tumultu ac seditione populi solent clamores  
ac vociferationes audiri, inde Syrus vertit per  
*ܢܪܢܐ* *hugavit, jurgavit, vociferatus est.* Veriti fuerant  
Pontifices, ne Jesu in vincula coniecto tumultus  
concitaretur in populo ob Jesu liberationem Mat.  
26. v. 15. Marc. 14. v. 2. sed conversarum facie Jesu  
jam capto tumultus excitatur in populo ob Jesu  
crucifixionem, quod est memorabile popularis in-  
constantia & mutabilitatis exemplum. Excitarunt  
autem hunc populi tumultum ipsimet Pontifices  
procul dubio ipsi suggerentes, quòd metuendum  
sit, ne justam Cæsaris indignationem incurrant &  
gravibus pœnis subiciantur, si hunc hominem, qui  
se Regem professus esset, in vivis tolerarent, neve  
ipsius Dei offensæ & pœnis se subicerent blasphemum  
hunc hæreticum diutius fovendo. Ita solent  
Pseudo doctores populum concitare & commove-  
re flabellis linguarum, ut veros Christi confessores  
persequantur & deletos cupiant. Stupendum  
verò à *ܕܘܥܘܥܘܢ*, hoc est, exemplum, quòd ne unus  
Jesu suscipit, cui ipsum judicem tantopere favere  
omnes intelligunt. Christus salvificâ suâ doctrinâ  
plerosq; illos omnes, qui aderant, aliquoties pa-  
verat, cujus etiam aculeos in corde senserant,  
quamplurimis insuper miraculosam sanitatem  
contulerat, sed extrema eorum omnium capitipfos

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars quarta.

oblivio, patiuntur se contra Christum incitari &  
armari, ut cogant judicem sanguinariis suis con-  
siliis obsequentem sese præbere. Quòd Matthaus  
hoc loco asserit, Pilatum metu seditionis popularis  
Jesum condemnasse, id nequaquam pugnat cum  
eo, quòd Johannes dicit, offensam Cæsaris ipsum  
fuisse reveritum. Johannes enim loquitur de prin-  
cipio ac primo quasi ariete, quo labefactatus fuerat  
Pilati animus, ut desisteret à conatu Jesum liberan-  
di; Matthaus verò loquitur de progressu atq; alio  
quodam ariete, quo penitus expugnatus tandem  
fuerit. Vidit Pilatus ab utraq; parte magnum sibi  
imminere periculum, hinc quidem offensæ Cæsareæ,  
inde verò seditionis popularis, voluit igitur  
utrumq; caute declinare, ut apud populum gratiam  
iniret, apud Cæsarem verò factam tectam illam  
conservaret, magis tamen Cæsaris offensam, quàm  
populi tumultum metuebat, quia ut jam ante sedi-  
tionis populi compescuerat teste Iosepho libr. 18.  
antiq; Judaic. c. 4. ita quoque hunc tumultum facili  
negotio judiciariâ suâ autoritate & prædialiario-  
rum militum auxilio sedare potuisset, sed cedit fu-  
rori multitudinis & Christum morti adjudicare sta-  
tuit. Prius tamen aquam sibi afferri jubet, quâ in  
conspectu totius populi manus suas abluo. Quò  
spectet illa manuum ablutio, indicant verba eidem  
addita. *Innocens* (inquit) *ego sum à sanguine hujus justis.*  
Ergo ut antea aliquoties verbis testatus fuerat Christi  
innocentiam, ita solenni quadam Ceremonia,  
quæ magnis feriret oculos & animos multitudinis,  
testatum facere voluit, & Jesum innocentem esse,  
& se invitum ad illius condemnationem descende-  
re. Quidam existimant, Pilatum hac manuum loti-  
one etiam illud spectasse, ut labem injulitiæ, quam  
condemnatione innocentis contracturus erat, coram  
Deo elueret, unde Ambros. serm. 49. præpos-  
terum illum agendi modum graviter taxat. *Lave-  
rit licet manus Pilatus* (inquit) *tamen sua facta non diluit.*  
*Quamvis abstergere se putaverit justis sanguinem de suis  
membris, eodem tamen sanguine mens ejus tenetur infecta,*  
*ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum.*  
Sed stolidi illa persuasio de sceleribus externa  
aquæ ablutione expiandis vix videtur in pruden-  
tem Pilati animum competere, aliâ merito ipsi po-  
tuisset occini illud Poëta:

*Ab nimium faciles, qui tristia crimina cædis  
Exigua tolli posse putatis aqua!*

Voluit ergo Pilatus *χρησιψία* velut externâ qua-  
dam Ceremoniâ Christi innocentiam testatam red-  
dere & culpam injustæ condemnationis à se in popu-  
lum rejicere, sicut veteribus in more positum  
fuit, sensa animi non solum verbis, sed etiam factis  
declarare. Et cogitari potest hanc Ceremoniam id-  
eò adhibitam fuisse, ut in oculos omnium etiam  
procul astantium incurreret, atq; hac ratione omnes  
intelligerent, quid sibi vellet, quia vox ejus præ tu-  
multu non poterat ab omnibus exaudiri. Dent. 21.  
v. 6. statuitur, si quando inventum fuerit cadaver  
hominis occisi & ignoretur cædis reus, quòd tunc  
seniores civitatis in proximo sitæ manus suas super  
vitulam in valle percussam lavare debeant dicen-  
tes: *Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec  
oculi nostri viderunt, &c.* quo modo reatus sanguinis  
ab eis auferebatur. Habebant insuper Judæi  
S 3 varias



varias lotiones, quibus immundities Leviticis abstergebant. Aristeas de LXX. Interpretibus refert, quod priusquam ad versionem librorum sacrorum se accingerent, manus laverint, declarantes hoc esse signum, quod nihil mali commiserint. Defunctorum corpora à pallinctoribus lavabantur, ad acquirendam vel testandam innocentiam, ut Rabi- ni scribunt. Hæc exempla Pilatus, licet Ethnicus, tamen inter Judæos vivens & Ceremonias ipsorum percullens, imitatus videtur, ablutione manuum reatum sanguinis innocenter effusi à se dimovere statuens, cum metu seditionis popularis ad fundendum illum sese coactum esse prænderet. Apud Græcos enim vel Romanos talis *ἁγνότης* exempla non occurrunt, quod quidam ex Sophoclis Interprete afferunt, est ab hoc loco alienum. Illi enim lavabant man<sup>9</sup> ut scelus à se patratum quoquo modo expiarent: Pilatus verò ut innocentiam suam testatam faciat. Pf. 26. v. 6. usurpatur phrasim ex ritibus absolutionum Leviticarum deducta. *Lavo in innocentia manus meas.* Pf. 73. v. 13. *mundavi cor meum & inter innocentes lavi manus meas.* Hæc ablutione Pilatus uti debuisset, nec manus aquâ externâ, sed interiori mundicie & innocentia mentem abluere, quia peccatum manuum à peccato mentis, & immundities manuum ab immunditie mentis oritur. Sed cum externa duntaxat manuum ablutione utatur, ac nihilominus innocentem contra testimonium conscientia condemnet, magis sorditur quam mundatâ hac externâ Ceremoniâ. Leo sermon. 8. de pass. *Non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec aspersis aquâ digitis expiatur, quod simulante impiâ mente committitur.* Neq; enim excusat Pilatum metus popularis seditionis, tum quia judiciariâ suâ autoritate eandem compescere & debuisset & potuisset, tum quia non sunt faciendâ mala ut eveniant bona, nec sanguine innocentis tranquillitas Reipublicæ redimenda, tum denique quia iudex potius mille mortes debet oppetere, quam à recto iustitiæ tramite in aliorum gratiam vel etiam metu quodam deflectere. Frustrâ igitur exclamat, *Innocens ego sum à sanguine huius iusti,* cum effusionem illius sanguinis prohibere & debuisset & potuisset. Tam remotus ego sum à culpa sanguinis innocentis, quam manus meæ sunt à sordibus liberæ ac mundanæ. Judas proditor sanguinem Christi vocaverat *ἀθώον*, hoc est, *innoxium*, nequaquam promeritum, ut effunderetur. Simili ferè phrasim Pilatus hoc loco pronunciat, se esse *ἀθώον* innoxium & innocentem à sanguine illius iusti, hoc est, agnoscit, Christum esse iustum, nullâ ratione promeritum, ut sanguis ejus effundatur, ideo culpam & poenam sanguinis innocentis fundendi nequaquam vult in se recipere. Mutuatur verba ex nuncio uxoris, & ostendit, se illud haudquaquam susque deque, sed pro divino quodam somnio habuisse, ideo timet in effusionem sanguinis illius consentire. *Vos videritis,* inquit, hoc est, omnis culpa in vestrum caput recidit, vos importunis clamoribus & sedicioso tumultu vestro cogitis me ad injustam huius iusti condemnationem. Quidam putant, Pilatum respicere ad tribunal Cæsaris, quod coram eo reddenda sit Judæis ratio de effusione sanguinis innocentis, sed ex responso Judæorum colligitur, quod ad Dei & conscientia tribunal respectum ha-

beat hoc sensu: Vos videritis, quomodo Deo possitis de hac innocentis condemnatione, quam mihi extorquetis, rationem olim reddere, *ἴψὲς ἴψὲς ἴψὲς* / *tu ih̄s em̄nah̄l gegen Gott und in eurem Gewissen verantworet.* Sic ergo Pilatus denno Christum absolvit, antequam condemnat, ut publicè testatum fiat, Christum haudquaquam pro suis, sed pro alienis peccatis mortem subire. Pilatus non poterat causam mortis in Christo invenire, miratur igitur tam pertinaciter illum à populo ad mortem deposci, sed Pater cœlestis totius mundi peccata Christo videbat imposita, ideo ut hominem noxium & sceleratum ipsum ad mortem crucis damnari permisit. Hilarius can. 33. non longè à principio ablutionem illam manuum statuit præludium vocationis gentium: *Pilatus (inquit) & manus lavit & populo Judaico innocentem, se à Domini sanguine esse testatur, quia Judæis suscipientibus in se ac filios suos fusi Domini sanguinis crimen quotidie in confessionem fidei ablucit gentium populus demigrat.* Similes autem Pilato sunt, qui exteriori manuum mundicie student, hoc est, externæ & Ceremoniali iustitiæ intenti sunt, eamque coram Deo stabilire conantur, atque interim Christum repudiant Roman. 10. v. 3. negant vim crucis Christi, cum ipse solus sit nostra coram Deo iustitia ac legis finis & complementum: *Si per legem est iustitia, Christus frustra mortuus est Galat. 2. vers. 1. Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratia excidistis cap. 5. v. 4.* Similes etiam Pilato ceniendi sunt, qui externis traditionibus & operibus intenti sunt, & nullam gerunt curam interioris hominis, ut *Christus per fidem habitet in cordibus ipsorum Ephes. 3. v. 17.* qui externo verbi auditu & Sacramentorum usu pro Christianis sese venditant, nihil quicquam solliciti de interiori conversione ac pietate. Longè verò peiores Pilato iudicandi sunt Tyranni & persecutores, qui si quando rivos sanguinis Christiani effundunt, non solum horrore & metu propterea non corripiuntur, sed insuper laudem & gloriam ex eo sibi pollicentur Joh. 16. v. 2. Porro huic Pilati protestationi ac præmonitioni audacter respondet universus populus. *Sanguis ejus super nos & super filios nostros,* hoc est, si sanguis ille injustè effunditur, puniat illud Deus in nobis ac liberis nostris, ponitur enim *sanguis* phrasim Hebraicâ pro culpa sanguinis innocenter effusi & vindicta injusti homicidii. Occurrit hæc phrasim sapius in sacris literis. Genes. 42. v. 22. *Sanguis ejus requiritur à nobis,* hoc est, jam meritas limum poenas ob sanguinem ejus innocenter effusum. Levit. 20. vers. 9. *Qui maledixerit Patri aut matri, morte moriatur, sanguis ejus sit super eum,* hoc est, sibi ipsam imputet mortis culpam, quod repetitur vers. 11. 12. 16. 27. &c. Jos. 2. vers. 19. *Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus, cum iterum autem sanguis qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit,* hoc est, nos culpam & poenam præstabimus, si quis occisus fuerit inter eos, qui tecum in domo fuerint; si quis verò egreditur, sibi imputet, si occidatur 2. Sam. 1. v. 16. *Sanguis ejus super caput tuum &c.* Mat. 23. 35. *Ut veniat super vos omnis sanguis injustus, qui effusus est, hoc est, culpa & poena sanguinis injustè effusi vobis imputabitur Act. 5. 28. Vultis inducere super nos san-*



guinem hominis illius, id est, pœnam sanguinis effusi à nobis. Ita quoq; Judæi hoc loco dicunt. *Sanguis ejus super nos & super filios nostros*, nos culpam & pœnam in nos recipiemus, nostro periculo occidatur, obstringimus nos ad luendam pœnam, si injustè fuerit occisus, certissimi verò sumus nullam pœnam aut vindictam ob sanguinis hujus effusionem esse metuendam, ideò non reformidamus & nostra & librorum nostrorum capita obstringere & omnem reatum in nos recipere. Hæc profectò erat stupenda cœcitas & infania, quòd non contenti sunt sibiipsis divinam vindictam attrahere, sed eidem etiam liberos suos innoxios subjiciunt. Pessimi profectò sunt Parentes, qui liberos suos nondum natos imprecatione suâ perdunt. In libro Præceptorum ita scribunt Rabini 188. 2. *Judicia pecuniarum non sunt ut judicia animarum. In judiciis pecuniarum, si homo dedit pecuniam socio suo, expiatur: In judiciis autem animarum sanguis ejus & sanguis seminum ejus pendet ab eo usque ad finem mundi.* Ergo Judæi clamantes hoc loco, *Sanguis ejus super nos & super filios nostros*, totam omnino posteritatem suam in lumbis adhuc hærentem usq; ad finem mundi victuram ad pœnas pro Christi sanguine innocenter effuso luendas oppignorant. Congregati erant Judæi ex omnibus mundi partibus ad festum Paschatos celebrandum, aderant coram prætorio magno numero excitati famâ Jesu, cujus doctrinam & miracula noverant, hi omnes clamant, *sanguis ejus super nos & filios nostros*. Ne Pilatus obvertere posset, vindictam divinam aliquandiu interdum quiescere, & contra posteros gravius exardescere, liberos suos pro Pilati posteros quasi obfides dant, quòd velint omnem culpam & pœnam in se recipere. Sed magno suo malo & ipsi & posteri eorum experti sunt, quàm in consultè sese ad pœnas pro hoc scelere luendas obstringerint, quinimò usque in præsentem diem hæc imprecatio super Judæos perseverat, & *sanguis Domini non aufertur ab eis*, ut Hieronymus in h. l. scribit, Josephus lib. 2. de bell. Judaic. c. 8. commemorat, quomodo Pilatus Anno Christi 35. Cæsaris imagines, quas signa vocant, noctu Hierosolymam intulerit, quæ res orto die maximam Judæis perturbationem concitaverit. Idem commemorat aliam quandam calamitatem, quòd sacer ille thesaurus, quem Corbonam vocabant, in aquæ ductum fuerit consumptus, qui trecentorum stadiorum spacio decurrebat, cumque hujus rei gratiâ multitudo vociferaretur, Pilatus tumultum prævidens milites armatos constituit ac vestibus vulgaribus indutos multitudini miscuit, & gladio quidem uti prohibuit, sustibus verò signo de tribunali dato eos qui vociferarentur, cadere jussit. Judæi percussi multi ex plagis, multi etiam in fuga à suis ipsorum concubibus proculcati perierunt. Euseb. lib. 2. Hist. Eccles. c. 5. refert, Sejanum Tiberii Cæsaris Collegam studiosè in hoc incubuisse, ut totam Judæorum gentem perderet. cap. 6. subjungit, Cajum Caligulam multis & innumeris contumeliis multos affectisse, omnium verò potissimum Judæorum gentem admodum afflixisse, addit etiam Judæos hoc modo divinam vindictam propter facinus in Christum designatum invasisse. c. 19. commemorat seditionem Judæorum ortam Hierosolymis in festo Paschatos Anno Christi 49. in qua

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.

ad fores templi perierunt triginta millia Judæorum. c. 20. recenset seditionem, quam moverunt Pontifices adversus plebejos & primores populi sub Nerone: ibidem mentionem facit quorundam sicariorum. c. 21. enarrat plagam per Pseudopphetam Ægyptium illis illatam. Sic ergo Judæi perpetuis seditionibus & tumultibus conturbati sunt, propterea quod per tumultum & seditionem Christum occidi à Pilato impetraverant, donec tandem quadragesimo post hanc imprecationem anno funditus à Romanis deleti & everfi sunt, plerisque occisis, reliquis verò ad perpetuam servitutem abductis. Nicephorus postquam lib. 2. Hist. Eccles. cap. 9. & 10. ex Philone & Josepho varias Judæorum calamitates sub Tiberio & Cajo exantlatas recensuisset, subjungit, quòd à perpetrato in Salvatorem piaculo nunquam & in urbe ipsa & in Judæa omni esse desierint seditiones, tumultus, pugna, aliarumque intolerabilium cladum, aliæ super alias incursionis, donec postrema omnium urbis sub Vespasiano obsidio eos invasit ac prorsus extinxit. c. 26. enumerat clades, quas sub Imperatore Claudio Judæi pertulerunt. Et probè notandum, quòd Josephus lib. 6. de bell. Jud. c. 12. scribit tempore obsidionis Judæos cibi quærendi causâ clam ex urbe egredientes, quingentos in dies singulos & eo amplius à Tito Imperatore crucifigi jussos, ita ut propter multitudinem, quam cepissent milites, tandem locus crucibus deesset & corporibus cruces. Nimirum hæc fuit justissima pœna hujus sceleris, quòd tantis clamoribus Pilatum ad Christi crucifixionem coegerant. Quinimò adhuc hodie vindicta divina clarissimè in hoc hominum genere elucet, quòd vagerent incertis sedibus & in ipso vultu signa reatus circumferant, stupendâ cordis cœcitate insuper percussi. Caveant igitur Parentes, ne liberis suis mala impendantur, sed benedictionem potius piorum posteritati promissam in illos propagent. Chrysolomus homil. 86. in Matth. circa med. rectè monet, expendendam hoc loco immensam Dei misericordiam, quòd licet sibi ac omnibus suis posteros temporale atque æternum exitium Judæi fuerint imprecati, multos tamen hisce diris exemptos & ad Christum conversos voluerit. Actor. 2. vers. 41. unâ die circiter tria millia per baptismum cœtui fidelium adjunguntur. Actor. 21. vers. 20. Iacobus ad Paulum ex gente Judaica oriundum dicit: *Vides, frater, quot millia sint in Judæis, qui crediderunt!* Sic ergo Deus semper punit infra condignum, & vindictæ suæ gladium miserationis oleo lenit. Sed & hoc notandum, quòd Pilatus nec à culpa nec à pœna hac insanâ Judæorum stipulatione factus fuerit liber, sed debitas tandem & ipse pœnas perolverit in Christi innocentis condemnationem consentiens, ex quo intelligitur, quòd impij coram Dei judicio non possint aliorum culpam præstare & pœnas aliorum in se recipere, sed quòd unicuiq; pro suo delicto debita pœna divinitus irrogetur. Nos verò discamus alio sensu clamandum, ut sanguis Christi super nos veniat. Clamemus non tam externâ voce, quàm internâ fide, ut veniat super nos, non ad vindictam, sed ad peccatorum nostrorum ablutionem. Saluberrimum omninò atque optimum verbum, *sit sanguis ejus super nos*, sed



sed pessimā intentione prolatum. Nobis verā fide & cordis desiderio optandum, ut super nos & filios nostros sanguis Christi veniat, per quem ab omni inquinamento carnis & Spiritus liberemur, sicut hanc aspersionem sanguinis Christi cum sanctificatione Spiritus conjunctam Petrus celebrat 1. Epist. 1. vers. 1. *Asperge nos, o bone Jesu, hyssopo sanguinis tui & mundabimur, lava nos & super nivem dealbabitur* Psal. 51. vers. 9. Sit sanguis tuus super nos, ut cum in die iudicii videris videns nos sanguine tuo notatos nobis parcas, nec sit in nobis plaga disperdens Exod. 12. v. 13. atque ut Rahab coccineum funiculum in fenestra appendens mortis discrimen evasit Jos. 2. v. 18. sic purpureus tuus sanguis per fidem nobis aspersus ab æterno exito nos immunes præstet.

Tandem igitur Pilatus videns Judæos animis obfirmatis atque obstinatis mortem Jesu querere, nec ullam liberandi illum spem superesse, statuit, turbe satisfacere, hoc est, præstare quod à turba erat postulatum, ita enim accipitur *ἵκανον ποιεῖν* etiam apud profanos scriptores. Syrus vertit, voluit facere voluntatem turbarum, *adjudicavit ergo ut fieret, quod illi postulabant & dimisit illis Barabbam, qui propter seditionem & homicidium conjectus erat in carcerem, quem poposcera, Jesum verò flagellatum tradidit voluntati eorum, ut crucifigeretur.* Ex verbo *παρὰ δὲ αὐτοῦ* quidam colligunt, Pilatum nequaquam pronunciasse sententiam mortis contra Christum, sed tantummodo permisisse, ut pro arbitrio Judæi cum ipso agerent, *permissio* (inquiunt) *& traditio est inita, non propriè dicta condemnatio.* Lactantius lib. 4. Inst. c. 18. *Pilatus sententiam non protulit, sed tradidit Christum Judæis, ut ipsi de illo secundum legem suam judicarent.* Sed circumstantiæ textus ostendunt, sententiam condemnatoriam omninò fuisse contra Christum à Pilato prolatam. Sedit enim *Ἰησοῦς & Βήμας* iudicis habitum præ se ferens, ac Lucas disertè ponit verbum *ἐπέειπε* *ἵκανον ποιεῖν* *adjudicavit ut fieret, quod illi postulabant,* nec Romani milites supplicium crucifixionis executioni dedissent, nisi condemnatoria iudicis sententia præcessisset. Quòd verò Christus dicitur *traditus voluntati Judæorum,* id exprimit causam, quæ movit Pilatum, ut crucis pœnam Christo irrogari præciperet, nimirum quia vidit Judæos pertinaciter id velle atque expectere, neque enim ausus est ulterius voluntati ac postulatis ipsorum refragari, ne videretur Cæsaris imperio atque autoritati detrudere, patrociniū suscipiendo illius, qui se regem erat professus. Exprimit insuper hæc phrasis rei dignitatem, quòd Pilatus non solum crucis pœnam Christo dictaverit, sed etiam permiserit Judæis, ut omne acerbitalis suæ virus in illum effunderent. *Tradidit enim Jesum voluntati eorum, ut omnè crudelitatis suæ rabiem in illum detorquentes omnem voluntatis sævissimæ furorem ac sanguinariam sitim innocentis illius sanguine opprobriis, contumelis, blasphemis, irrisionibus, exquisitis tormentis & cruciatibus pro libitu exatiarent, quo modo nullus facinorosus inimicis traditus legitur, nec de latronibus qui unà cum Christo crucifixi sunt, commemoratur, quòd cruces suas portaverint; quòd felle & aceto fuerint potati; quòd sarcasmis illusi, &c.* Eodem etiam spectat, quòd Evangelista descriptionem Barabbæ repetit, dimissum esse à Pilato cum,

qui ob seditionem & eadem in carcerem fuerat conjectus Jesum verò cruci adjudicatum esse: eo ipso enim itidem voluit rei indignitatem exprimere, quòd Pilatus Judæorum voluntati obsecutus pestilentissimum hominem liberum dimiserit, Jesum verò innocentissimum atrocissimo & ignominiosissimo crucis supplicio adjudicavit. Lutherus tom. 1. Isleb. sententiam condemnatoriam à Pilato contra Christum promulgatam format hoc modo: *Quoniam Jesus Nazarenus Regem Judæorum sese professus coronam Cæsarem affectavit, ideo ego Pilatus, Imperatoris Romani Vicarius, & in Iudæa Præses, iudico ipsum Crucis supplicio afficiendum esse, idque jure & merito.* Adrichomius recitat hanc formam sententiæ. *Jesum Nazarenum subversorem gentis, contemptorem Cæsaris, falsum Messiam, ut majorum suæ gentis testimonio probatum est, cruci affigite.* Sed quia Pilatus ubique dat Christo innocentiam testimonium, & quia Evangelistæ aliquoties reperunt, quòd judicaverit fieri *αἰτημα* & voluntatem Judæorum, ideo verisimilius est, quòd in ipsa sententiæ condemnatoriam formam culpam omnem in Judæos rejecerit. Ex verbo *ἵκανον ποιεῖν* quidam colligunt, Christum immediatè ante crucifixionem denuò fuisse à Pilato flagellari jussum, cum enim prior flagellatio tantum eò spectaret, ut ad commiserationem animi Judæorum fleterentur, ideo subsecutam esse flagellationem alteram, quæ more apud Romanos recepto crucifixionis fuit præludium, ut crucifigendus hac ratione ab honestorum hominum societate eximeretur. Unde in Evangelio Nicodemus scribitur, Pilatum sententiam his verbis protulisse: *Gens tua comprobavit te Regem, propterea precipio te primum flagellari secundum Principum statuta, deinde in cruce levari.* Sed ostendimus superius, semel tantum flagella fuisse Christo irrogata, proinde verbum *ἵκανον ποιεῖν* vertendum postquam flagellasset eum, videlicet ante prolatam mortis sententiam, eam enim flagellationem jam antè Christo irrogatam contentus fuit Pilatus, nec denuò eum flagellari jussit. Sic ergo non in tumultu seditioso, sed antegressà solenni iudicis sententiâ Christus fuit occisus, ut innueretur, propter peccata totius humani generis in ipsum conjecta coram Dei iudicio ipsum damnari, ut propter ipsum coram eodem Dei iudicio absolvi possemus. Condemnatur *ἐμπροσθεν & Βήμας* coram tribunali iudiciario, ne sententia condemnatoria in nos vibretur, quando olim *ἐμπροσθεν & Βήμας* in die extremi iudicii sistemur Rom. 14. v. 10. 2. Cor. 5. v. 10. Condemnatur ut divinæ legis transgressor, ne propter transgressiones divinæ legis coram Deo condemnemur. Primi Parentes nostri violatione legis, Dei iudicio cum omnibus posteris facti sunt obnoxii, Christus igitur ut ab hoc iudicio & condemnatione nos liberaret, sponte se legi, iudicio & condemnationi subiecit, Galat. 4. vers. 4. ut nulla amplius condemnatio, *ἡ δὲ καταραξεν* locum habeat in illis, qui sunt in Christo Roman. 8. vers. 1. quòd pertinet etiam illud, quòd Barabbas latro & seditiosus absolvitur, Jesus verò condemnatur, quâ in parte *Dei consilium & manum* respicere convenit Act. 2. vers. 23. cap. 4. vers. 28. Stant hic coram Dei iudicio Barabbas & Christus. Barabbas Adæ & omnium ipsius posterorum personam repræsentat, siquidem per peccatum



peccatum primi Parentes seditionem contra Deum moverunt & facti sunt sui ipsi & omnium posterorum homicidæ. Christus Mediator ratione sui innocuus est atq; innocens, interim tamen totius humani generis peccata in se suscepit, propter illa mortis supplicio adjudicatur, sed Barabbas liber exit, hoc est, Christus factus est propter nos peccatum, condemnatio & maledictum, ut propter ipsum redderemur iustitia & benedictio; suscepit in se peccata nostra, ut ab illis coram Deo absoluti à pena essemus liberi: *castigatio est super ipsum ut esset nobis pax* Esa. 53. v. 5. quod ipsum in typo hirci *domino* in desertum emissi, & ulterius in sacrificium Deo oblato pulcherrimè præfiguratum Levit. 16. v. 5. ideo etiam Christus non remurmuravit, non quasi vivit effugia, non protulit excusationes, sed obmutuit instar agni, voluit enim *peccata nostra ferre in corpore suo super lignum*, 1. Petr. 2. v. 24. Atq; hæc fuit catastrophe virtutum politicarum in Pilato, ex qua manifestè intelligitur, quàm non possint Ethnica virtutes vero Dei timore & fide in Christum destitutæ Dei iudicio opponi. Nos verò diligenter caveamus, ne Barabbam Christo præferamus. Idololatria & falsa doctrina est latro animæ, siquidem idololatræ extra cœlestem Hierosolymam statuuntur Apoc. 21. v. 8. *ut pars eorum sit in stagno ardente sulphure & igne*; quisquis ergo à vera Christi doctrina secessionem facit & ad cœtus idololatrios sese confert, is certè Barabbam animæ suæ latronem

Christo vitæ datori præfert, unde Hebr. 6. v. 6. de illis qui contra testimonium conscientia à veritate doctrinæ cœlestis discedunt, eandemq; blasphemant, dicitur, *quod Filium Dei denuo crucifigant*. Peccatum contra conscientiam est tumultus mentis & seditio animæ, quia scilicet per illud tranquillitas conscientia turbatur; idem etiam est animæ latro, quia qui peccat contra conscientiam, ædificat gehennam. Quisquis ergo diaboli suggestionibus, carnis tentationibus & mundi seductionibus obsequitur ac legem Dei sciens ac volens transgreditur, is itidem Barabbam latronem Christo profert. *Quando caro concupiscit adversus Spiritum & Spiritus adversus carnem* Galat. 5. v. 17. tunc Pilatus adhuc pro tribunali sedet inter Barabbam & Christum iudicans. Quòd si desideria carnis posthabita Spiritus admonitione implentur, tunc Barabbas dimittitur, Christus verò repudiatur: sin verò per Spiritum actiones carnis mortificantur, tunc Christus in nobis vivit. Barabbas verò occiditur. *Qui enim Christi sunt, crucifigunt carnem cum vitiis & concupiscentiis* Galat. 5. v. 24. Mortificetur igitur, crucifigatur & intereat Barabbas, peccatum scilicet, Christus verò vivat & regnet in cordibus nostris benedictus in secula.

*Ad veniam, non vindictam, dulcissime Jesu,  
(Suspiro) sanguis me super esto tuus.*

## CAPUT CXC VI.

CHRISTUS AD SUPPLICII LOCUM EX URBE HIERSOLYMA EDUCITUR, AC VALEDICTORIAM AD RELIGIOSAS MULIERCULAS CONCIONEM INSTITUIT. MATTH. 27. v. 31. MARC. 15. v. 20. LUC. 23. v. 26. JOHANN. 19. v. 16.

## RATIO ORDINIS.

**R**Xpositis illis, quæ coram Pilato Præsede Romano gesta sunt, succedit quartus Historiæ actus, ipsa scilicet Christi crucifixio. Statim enim ut condemnatoria sententia fuit contra Christum pronuntiata, eductus fuit à militibus ex urbe ad locum supplicii. Solent aliàs facinorosorum supplicia post latam & denunciata mortis sententiam in dies aliquot differri optimà omninò ratione, ne quid præcipitanter aut præposterè in iudiciis capitalibus statuantur, atque ut ipsi facinorosi ad mortem sese preparare possint. Sed hoc loco Judæi ita saviunt contra innocentem Jesum, ut à momento latæ sententiæ executionem urgeant, cui immanitati ac furori procul dubio honestum quasiverunt prætextum à festo Paschatis proximè instante. Dies jam media præcesserat, nihilo tamen minus executionem supplicii aggrediuntur, ut, quàm potest

fieri primùm, Christus è medio tollatur, ne mutatis vulgianimis, liberationem ejus à Præsede causa ipsius favente, expectant illi, qui paulò ante clamaverant: *Tolle, crucifige*. Sub Tiberio (à quo Pilatus Judææ Præsides constitutus erat) factum est Senatus consultum, executionem sententiæ in facinorosos latæ ad dies decem esse differendam, referente Sueton. in Tiberio c. 75. & Dione lib. 57. Hist. Rom. Ergo contra leges Romanas peccat Pilatus indulgens Judæis festinam illam supplicii executionem. De duobus latronibus simul cum Christo crucifixis non commemorant Evangelistæ, quòd tunc demum mortis sententia in eos fuerit pronuntiata, procul dubio igitur jam olim ante dies aliquot crucis supplicium ipsis dictatum fuit, sed Christus sine ulla mora interposita post prolatam mortis sententiam continuo ex urbe ad supplicii locum fuit eductus.

CHRISTUS